



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **... Pars Difficultatum Propositarum Eximio D. Martino Henrico De Swaen in Universitate Lovaniensi S. T. Doctori**

Complectens 1. Justam defensionem adversus Libellum supplicem eximii Domini De Swaen, & eruditissimi Domini Melis. 2. Instaurationem priorum difficultatum cum Libello supplice Alumnorum Collegii Alticollensis ad Exim: suum Præsidem. 3. Æquam & facilem pacis conditionem

**Fontaine, Jacques**

**Coloniæ Agrippinæ, [1692]**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39122**

Dege  
cul-  
ty.

h  
46



Th. 446.


D. 1

33.




















SECUNDA PARS  
DIFFICULTATUM

COMPLECTENS

1. *Iustam defensionem adversus Libellum supplicem eximii Domini DE SWAEN, & eruditissimi Domini MELIS.*

2. *Instaurationem priorum difficultatum cum Libello supplice Alumnorum Collegii Alticollensis ad Exim: suum Praesidem.*

3. *Aequam & facilem pacis conditionem.*

*Collegii S. V. Paderbornensis 1693.*

P E R

DIDACUM DE OROPEGA,



SECUNDA PARS  
DIFFICULTATUM

COMPLECTENS

1. Insuper de...  
de...  
de...  
de...

2. Insuper de...  
de...  
de...  
de...

3. Insuper de...  
de...  
de...

P E R

EDICACUM DE OROBGA.



CAPUT PRIMUM  
JUSTA DEFENSIO  
DIDACI DE OROPEGA

ADVERSUS LIBELLUM SUPPLICEM

Eximii D. MARTINI HENRICI DE  
SWAEN S. T. Doctoris Lovæ:

E T

Eruditissimi D. PETRI MELIS in eadem  
Univerſitate S. T. Licentiati.

§. I.

*Aperitur Defenſionis neceſſitas.*

**S**I ea tantum foret Adverſariorum te-  
meritas ut ſcripta mea futilibus respon-  
ſis arroderent, ut arroſit nuper Exi-  
mius Dominus Martinus Henricus de Swaen  
in Epiftola ad Illuſtriſſimum Archi-Præſulem  
Sebaſtenum, vel ſi in privatis tantum con-  
greſſibus, vel intra Collegiorum ſuorum  
ſepta apud imperitam Tironum multitudi-  
nem



nem criminarentur, tolerabile fortè videri posset, & contemnendum potius, quàm operosâ confutatione repellendum. At cùm apud supremum celeberrimæ Lovaniensis Academiae Moderatorem accusationem instituunt, me tamquam calumniatorem publicum, Libellorum infamiam, sive ut in Libello supplice loquuntur, famosorum Auctorem traducunt, gravior visa est hæc criminatio, quàm ut scriptori Catholico tacitè prætereunda sit. Neque adcò honoris mei, & famæ Dominus sum, ut eam in tanti momenti accusatione mihi liceat prostituere. Injurius forem iis quibus seu sanguinis, seu arctioris fortè necessitudinis vinculo sum obstrictus, iniquus forem sanæ doctrinæ, quam adversus horum temporum novitates, & Jansenianam hæresim defendo, iniquissimus forem erga Illustrissimum Mechliniensem Archi-Episcopum cujus adversus flagitiosissimos obtretractores patrocinium sponte suscepi, nec infeliciter hæctenus profecutus sum.



*Ostenditur ineptia accusationis.*

**Q**uid autem est, Reverendi admodum Domini, quod in scriptis meis vos offendit adeò ut ea Libellorum famosorum nomine appellanda duxeritis instrumento publico, quod adversus me die hujus mensis II. Magnifico Academiae Reclori obtulistis? Libelli scilicet famosi vobis sunt, quicumque gustui vestro non satis accommodati. Quidquid calumniae in integerrimam JESU Societatem, quidquid in alios Religiosorum coetus sanctissimos, quidquid in Archi-Episcopum sapientissimum, modestissimum, fortem, pium, atque omnibus illius ordinis dotibus instructissimum, quidquid in omnes alios Belgii Antistites, quidquid in SS. Inquisitiones, quidquid in ipsos Romanos Pontifices bilis, convitiatorum, scommatum evomunt quotidie commilitones vestri, hoc omne inter Reformationis salutiferae, hoc inter pietatis, & ubique praedominantis charitatis officia reponendum est. Quis non velit deinceps inter novos Augustini Discipulos militare, quorum scripta



quantumvis enormia, & licet carnificis manu ex supremi Senatûs sententia flammis infamibus addicta, illustria tamen sunt &, ex ipso incendio apud infinitam Jansenantium multitudinem redduntur clariora?

Gemina Opuscula mea vobis nuper displicuere adeò, ut eorum prohibitionem à Magnifico Rectore postulaveritis. Sed quid Libelli isti quorum alteri titulus *Difficultates propositæ Eximio D. Martino Henrico de Swaen ejusque Approbatoribus DD. Gummaro Huygens, Joanni Lovino, Joanni Sullivane, Joanni Liberto Hennebel, Joanni de Cuyper, P. Agathangelo à S. Clemente*, alteri *Epistola Apologetica ad Illustrissimum Archi-Præsulem Sebastenum*: Quid inquam Libelli isti tantum commovere, ut ex hac Universitate proscribi eos volueritis?

Video quidem eos in Libello supplice notari tanquam *famosos* nomini vestro, & famæ graviter noxios. Sed quænam ea est inepta supplicandi ratio, nihil probationis referens nullam proferens distinctè calumniam, nullum locum designans, nullum verbum, aut apicem? nudæ scilicet vestræ assertioni in causa propria adversus notorium Antagonistam fides habenda fuit, & parte inauditâ alterâ Libellus Oropegæ uterque Decreto Magnifici



gnifici Rectoris per Academiae Promotorem praesente Notario & duobus testibus ad medium decimae nocturnae in pauperculi Bibliopolae & nil tale suspicantis aedes subito irruentem, solemniter rapiendus. Nuntius ad me defertur postridie, mox tota urbe spargitur Oropogae Libellos Mandato Rectoris Magnifici proscriptos esse, & quotquot deprehendi potuere, fisco addictos; sed mox deprehensum est non nisi domum Rectoris accersitos ibique depositos, dum examinarentur. De hoc plura mox.

Non sum ad causam dicendam citatus, quia satis suspicabantur Adversarii, si non certo noverint, me neque Facultatis membrum esse, neque Rectoris Jurisdictioni subiectum: Verum non est mihi animus insignem adeo a duobus Augustini Discipulis illatam nomini meo injuriam silentio praeterire. Ultrò me sisto universo Eruditorum coetui, Catholicos & de Jansenismo non suspectos Theologos omnes appello, evolvant accuratè utrumque opusculum, sed & conferant illud cum Epistola quam Exim: D. de Swaen 31 Octob. 1691. dedit ad Sebastenum Archiepiscopum, & uter nostrum calumniatus sit, utri causa adjudicanda, per me licet decernant. Non est quod de aliis opusculis meis  
hic



hic laborem, tum quia posterioribus scriptis  
fatis vindicata sunt, tum quia in adverfa-  
riorum libello supplice nulla fit priorum  
mentio, sed tantum posteriorum. Utrum-  
que sedulo excutiamus, dispiciendum qua  
parte lateant tam enormes calumniae,  
propter quas veluti libellorum famosorum  
Author proclamatus sum atque ipsa opuscula  
tanto apparatu emptoribus extorquenda, ac  
cfferenda tecto miseri Bibliopolæ tam intem-  
pestivè, tantâ totius familiæ perturbatione,  
tanto meo dedecore, tantâ infamiâ.

## § 3.

*Defenditur Præfatio, & propositum  
difficultatum.*

**I**N Præfatione tibi gratulabar Eximie Do-  
mine, animum qui in me visus fuerat  
concitator, tandem seriâ, ut confidebam,  
Meditatione compositum: vultum, qui nescio  
quas nuper rugas contraxerat, ad pristinam  
rediisse amœnitatem. Epistolam tuam, quam-  
vis continuâ calumniæ exprobratione videri  
plerisque posset non toleranda, profitebar  
nihilominus adeò me non molestè ferre, ut  
etiam risum mihi moverit: Quare & confide-  
bam



bam boni te consulturum responsionem, cu-  
jus stylum ita moderaturum me pollicebar, ut  
nihil scripturus essem vehementius, sed luden-  
tis potius, quam irati Scriptoris speciem præ  
se ferret oratio. Evidens est, nihil hic esse,  
quod ægrè ferri à quoquam meritò possit  
quantumvis nodum in scirpo quæsierit.

Epistolæ tuæ exordio scripseras Illustrissi-  
mo Sebasteno te intellexisse, quod Sacerdotes ex  
Alma hac Universitate ad Missionis opera adven-  
tantes insimulentur quasi qui doctrinas tradant in  
materia de gratia, & libero arbitrio, per Con-  
stitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. condem-  
natas, officii, inquebas, mei esse duxi, pau-  
cis hinc exponere, quæ circa hanc materiam A-  
lumnis Collegii Alticollensis inculcare soleo. Siqui-  
dem hinc meridianâ luce clariùs evadet, illos  
saltem Missionarios, qui talibus imbuti sunt prin-  
cipiis, doctrinisque ab omni prorsus censura in  
memorata jam materia immunes censendos. Tum  
sequebatur expositio doctrinæ tuæ secundùm  
extimum verborum corticem à Thomisticis  
locutionibus non alienæ: Doctrina autem  
Thomistarum in materia de gratia, & libero  
arbitrio, addere potuisses de morte Christi  
pro omnibus, tutò traditur & ab omni cen-  
sura per Innocentii X. & Alexandri VII. con-  
stitutiones inflictâ, est immunis: Hinc infe-  
rebas



rebas, quod in exordio promiseraste demon-  
straturum luce meridiana clarius, illos saltem  
Missionarios, qui talibus imbuti sunt principiis,  
doctrinisque ab omni prorsus censura in memorata  
jam materia immunes censendos esse. Quoties  
verò me, expressio Oropegæ nomine, totâ pas-  
sim Epistolâ præfidenter insectatus es! quoties  
de CALUMNIA redarguisti quod te tuosque A-  
lumnos in Jansenismi vocaverim suspicionem!  
Quod quidem non nisi à gregalibus tuis zelo-  
sis, aliàs Rigoristis, sive, ut vocari mavultis,  
Augustini Discipulis, Illustrissimum Mechli-  
niensem Archi-Episcopum, præcipuos quos-  
que Pontificiæ Autoritatis & Catholicæ in  
Belgio fidei Defensores fœdissimè proscin-  
dentibus laceffitus feci ad refrænandam eo-  
rum audaciam, ad Ecclesiasticos, & Sæcu-  
lares Magistratus de Novatorum fallaciis com-  
monendos, & Jansenistas ipsos, si fieri pos-  
set, ut Jansenianis imbuti principiis pervica-  
ciam deponerent, judicium suum submitte-  
rent Ecclesiæ, mutarent sententiam citiùs  
quam pellem Æthiops, ad fidem Catholi-  
cam convertendos.

Cum igitur pro tam salutari vobis impen-  
sâ à me operâ, pro tam benevola monitio-  
ne, pro defensâ tam strenuè Archiepiscopi  
vestri æquè, ac mei famâ, pro tam sincero  
fidei



fidei Catholicæ propagandæ , & extirpandæ penitus Jansenianæ hæresios zelo, atque conatu , aliud à vobis non retulerim , quam plaustrum conviciorum , sævam persecutionem , & impactum mihi ubique calumniatoris flagitium , videbatur viris gravissimis non licere mihi in tanta rei indignitate tacere , sed pro Archiepiscopalis , & Pontificiæ , cujus me vindicem profiteor , autoritatis defensione , pro Fidei & Religionis incolumitate , pro salute animarum detegendos censebant Jansenianos fucos , hæresi huic pallium Thomisticum palàm detrahendum , ut omnium oculis expositâ tetrâ Jansenismi ex tam frequenti Vaticano fulmine contractâ fuliginè , omnes pestem hanc fugiant Ecclesiæ Belgicæ penè exitialem , imò Christiani orbis parti non minimæ imminentem.

Tam sapientibus Sociorum & Virorum Magis illustrium monitis obtemperandum putavi : relatum superius Martini Sophisma , quod habet cum omnibus passim Neo-Augustini Discipulis commune , suscepi dissolvendum , aperiendam æquivocationem , cavillationum vanitatem dissipandam , sensum erroneum sub ambiguis Thomisticarum vocum involucris subdolè latitantem , in medium protrahendum , erutumque e mentitis frustra  
Tho-



Thomistarum insignibus de puro puto Jansenismo convincendum. An non id à me præstitum fideliter Eximie Domine? An non solidè & perspicuè? Dic age quid ad manifestam totius quæstionis probationem amplius desideres.

§. 4.

*Ostenditur Martinum de Swaen ejusque sequaces non immeritò vocari in Jansenismi suspicionem.*

**S**ententias tuas cum Jansenii Sententijs contuli, uti & cum Thomisticis: clarissimâ explicatione ostendi sensum tuum à Thomistico longè dissidere, perfectissimè convenire cum Janseniano in materia de gratia, Libero Arbitrio, Morte Christi pro omnibus sive in materia quinque propositionum Hæreticarum Jansenii. Vide si lubet libellum meum nuperum, cui titulus *Difficultates propositæ, &c.* ad ejus paginam 13. lectionem attentè prosequere saltem usque ad pag. 45. Causam eviceris si non perfectam ubique tua inter & Janseniana placita consensionem ostenderim. Serum discrimen quod affers in Epistola

stola



stola nuperrima , nullius momenti esse sequenti cap. demonstrabo, fucis verborum nobis illudi non patimur, de re, de substantia, de sensu nobis controuersia est. Age, quoniam me calumniatum clamitas, cum te ubique Jansenio suffragari scripseram, dic in quo fallat comparatio: discrimen aliquod non inane, non merè materiale ostende. Si nequeas, te calumniatum agnosce, dum illud mihi crimen tam temerè affinxisti.

Volo eximie Domine tecum agere benignius. Si Jansenismum oderis, si cum Ecclesia sentias, si Pontificias toto Christiano orbe admittas constitutiones reueraris, licet fortè quæ humana reputabitur infirmitas, & ingenii potius vel scientiæ quam rectæ & Catholicæ voluntatis defectus, tuum inter & Jansenianum sensum discrimen non satis perspicias, vel nequeas explicare, fatere Propositiones prout in Jansenii Pseudo-Augustino conspiciuntur, esse hæreticas. Id te facturum negas ac pernegas in tua Thesi à me toties aliisque tibi objecta. urserat te Reverendus P. Isaacus de Bruyn S. T. Professor, quocum de gratia & libertate litigabas, ut si 7 hominibus terminis fucum non faceres, si sentires Catholicè, agnosceres tandem aliquando, rectè damnatas esse Propositiones quin-

B

que



que prout in Janseniano volumine continetur. Tu verò ad tam innocuam provocationem, ad conditionem pacis tam æquam, tam facilem, tam honestam quid respondes? Caverò, inquis, damnare sensum Iprensis Antistitis, *quis enim non videat periculum imminere NON INFUNDATUM, si propositiones famosas damnarem in sensu ab Autore intento, ne hinc inferat aliquando R. P. me non meam tantum, sed etiam Majorum meorum doctrinam imprudenter damnasse?*

Hic ego quemcumque Theologum, imò quemvis sanæ mentis hominem appello seu testem, seu judicem. Omnia quæ Eximius Docet in materia de Gratia, Libero Arbitrio, Morte Christi pro omnibus sive in materia quinque Hæreticarum Propositionum Cornelii Jansenii reperiuntur quoad sensum in Episcopi illius Pseudo-Augustino: hoc Magistro Martino collatis utrimque ejus & Jansenii sententiis à me in *Difficultatibus Propositis* & à Cranebergh in *Fraude V. articulorum* totis quinque primis capitibus quæ in *Difficultatibus* adoptavi, accuratissimè demonstratum est. Neque Martinus ignorat omnimodam Doctrinæ suæ cum Janseniana consonantiam, cum & in Jansenio satis versatus sit, neque vir sit habeti ingenio, & *Fraudem quinque Articulo-*



*ticulorum* measque *Difficultates* perlegerit, in quibus consensus iste declaratur tam dilucidè, ut stipitem esse oporteat, qui non assequatur. Hanc scientiam neque mihi, neque Cornelio à Cranebergh acceptam debet Martinus, cum antequam utriusque nominum scripta prodirent in lucem, *Doctrinæ* suæ cum Janseniana convenientiam satis habuerit perspectam, cum in centies decantatâ Thesi professus est candidè genuinam, & verissimam tergiversationis suæ rationem *periculum NON INFUNDATUM, si propositiones famosas, inquit, damnarem in sensu ab Autore intento, ne hinc inferat aliquando R. P. me non meam tantum, sed etiam Majorum meorum Doctrinam imprudenter damnasse.* Hic inquam Theologum, imò quemlibet rationis compotem appello an ego erga Martinum iniquus sim, dum eum voco in Jansenianæ doctrinæ suspicionem? An injurius sim iis Missionis Alumnis, qui ex Alticollensi Collegio prodeunt iisdem à suo præside principiis, ac sententiis, quibus ipse instructus est, eadem erga Pontificum Constitutiones reverentiâ imbuti, si eos in eadem cum præside ac Magistro suo classe collocaverim? Magistri sui vestigiis gnaviter eos insistere etiam dum Collegio educti Missionem excolunt, norunt omnes qui ejusmodi Cle-



ricorum interfunt subindè concionibus, vel privatis colloquiis, qui libellos legunt ex Hollandia à quibusdam clericis vulgò Rigoristis sive Neo-Augustinianis tam frequenter prodeutes : atque ipse Eximius indicatum voluit, cum in Epistolæ Exordio ut ostendat qualis Doctrinæ sint Missionarii ex suo Collegio assumpti suam ipse exhibeat, meritò ratus eos dein passim sectari principia & sententias, quas in Seminario fuerant edocti.

Non habet igitur Eximius de S. vaen quod de meis *Difficultatibus propositis* conqueratur. Quid autem habet Dominus Melis, quem in difficultatibus vix attingi, nisi ubi de facto, seu congressu ejus cum Amplissimo D. du Bois in Difficultate IX. de qua sequenti cap. Roget Amplissimum suum D. Præpositum Franciscum Manseau, an non *hi censendi sint Propositiones ab Ecclesia profligatas defendere, qui quantumcumque aliorum tum monitis, tum exprobratione stimulati nunquam eò se adduci patiuntur, ut anathema dicant eo sensu quo condemnata sunt.* Eos Propositionum damnatarum verè reos dedeclaraverat nuper Cor. de la Montagne pag 42. illi quantumvis alioquin ubique infestus insignis vester Præpositus inter novos Augustini Discipulos magni nominis Theologus facilè hìc subscribit. Licetne sub-  
sume-



sumere ? atqui Eruditissimus D. Petrus Melis , uti & Eximii DD. Martinus Henricus de Swaen , van Viane , Huygens , Hennebel , &c. Quantumcumque rogati , excitati , exprobrationibus impulsii , nunquam voluere propositionibus eo sensu , quo proscriptæ sunt dicere anathema , Conclusio est legitima , ergo Eruditissimus D. Petrus Melis , uti & Eximii van Viane , Huygens , Hennebel , de Swaen , &c. censendi sunt enuntiationes proscriptas propugnare. Durior etiam fuerat major propositio Cor. de la Montagne admiffa ab amplissimo vestro Præposito non suis tantum , sed & suorum Augustini condiscipulorum verbis loquente. Statuebat enim non modò censendos eos esse damnatorum dogmatum patronos , sed reipsâ eos propositiones illas tenere , seu asserere. Mihi verò benignior placuit sententia Theologos illos suspectæ tantum doctrinæ accusans , secutus Illustrissimum gratiæ per se efficacis & prædestinationis gratiæ Defensorem Episcopum Attrebatensem in censura sua anno 1687. 13. Augusti. Declaravit Tractatum Domini Jacobi Gilbert de gratia continere doctrinam falsam , temerariam , heresios condemnatam constitutionibus Pontificum Iunocentii X. & Alexandri VII , plenum conviciis , & invectivis minimè Christianis in



*Theologos orthodoxos.* Hic Episcopus qui doctrinam noxiam non aperte damnant, ait & alienæ ruinæ reos esse, & seipfos reddere eorum errorum suspectos, ut utamur Magni cujusdam Pontificis sententiâ in ISTIS CAUSIS NON CARET SUSPICIONE TACITURNITAS. Quod de Episcopis, idem hic respectivè dicendum est de quibuscumque animarum Pastoribus, Tyronum Theologorum Directoribus, Magistris & Præsidibus. Paulò post in eadem censura novo cujusdam Pontificis Apophtegmate priùs dictum confirmat: ERROR ENIM, inquit, CUI NON RESISTITUR, APPROBATUR.

Adeò non accusandus sum quod Janseniano furfure quosdam conspersos designaverim, ut potius increpandus videar, quod numero tam Angusto Jansenismum in Belgio complexus sim. Confutationis pag. 76. palladium sancti, si superis placet, Augustini Discipulum redargueram, quod consentiret Arnaldo ita pronuntianti, in præfatione Apologiæ primæ pro Jansenio; Bulla Urbani VIII. qua Iprensis Augustinus prohibetur, fraude, & falsis accusationibus extorta est. Quasi verò Liber Jansenii esset Catholicis perniciosus, & Illustrissimi Iprensis Antistitis doctrina, alia foret quàm S. Augustini.

Hic



Hic me adoritur Reverendus admodum Dominus G. sancti Martini Prior ut quidem se venditat, eadem autoritate constitutus quam Franciscus Manseau sancti Petri Præpositus in partibus. Sic inquam me adoritur Theologiae Moralis pag. 59. *Si hoc Jansenizare est, ut Oropega contendit, facile admittimus Jansenismum plus rei habere quam credatur, asserimus tot penè esse Jansenistas, quot S. Augustino studuere & legere Jansenium. Paucissimi sunt qui sancti Augustini sensum assecuti, & lecto Jansenio non planè perspectum habeant eadem loqui, eadem sentire Iprensensem Augustinum & Hipponensem. Si illud est in quo Oropega palladium, Arnaldum, aliosque Jansenistas haberi velit ut hereticos, necesse est ipsummet hereticum esse, aut fatuum. Ad hoc jam respondiſsem Amplissimo Jansenistarum Priori, nisi me Eximius D. Martinus de Swaen, & Eruditissimus D. Petrus Melis interpellassent. Juerit quoque audiri ipsum Palladium pro se suisque sub Neo Augustino condiscipulis profitentem, Jansenistarum sese nomine gloriari, si per hoc aliud non intelligas, quam ut Jansenistas definierat Amplissimus Dominus Martinus Steyart, eos qui Jansenii doctrinam tuentur, ac profitentur. Verba Palladii sunt: *finio itaque ut Theologus Martinus Steyart cum Jansenista vocabulo.**

Si



*Si locutionis, fixarumque mentibus idearum imperium teneret Theologus, nomenclationi eius ac descriptioni actutum accederemus; nam eo dumtaxat quo describit pacto Jansenistas haberi & esse magno duceremus honori. Quid enim generosius in hoc genere, quam eniti, ut Jansenium primi Ordinis Sacerdotem, scripturarum nostrarum elegantem explanatorem, hereticorum, dum vita fuit, expugnatorem egregium, Belgii nostri Episcopum, Academia Lovaniensis Doctorem . . . . . detersâ omni heretica pravitate labe, Ecclesie Catholicae vindicemus?*

*Quid facias Augustini Discipulis? arctissimâ sunt inter se necessitudine conjuncti: nullus eorum læditur, quin omnes sentiant gravissimè, neque dolorem dissimulant, ad singulorum defensionem, ad factionis splendorem & incrementum omnes conferunt sua studia, consilia, auctoritatem, Facultates. Nihil quisquam in se patitur desiderari. Eorum Principes ut Arnaldus, Palladius, Amplissimus D. Franciscus Manseau Præpositus S. Petri in partibus, uti & Reverendus admodum Dominus G. sancti Martini item in partibus Prior, pro se aliisque testantur Discipulos Augustini gloriari Jansenistarum nomine, Jansenismum non esse merè phantasticum sed *Magis realem*, plures esse  
Jan-*



Jansenistas quam mihi fortè persuadeam, si  
 Jansenistarum nomine aliud non intelligam  
 quam homines qui Jansenii Doctrinam tuen-  
 tur ac profitentur, qui exploratum habent,  
 aliud non loqui, non aliud sentire Iprensam  
 Augustinum quam Hipponensem. Et tamen  
 mox ut Jansenistæ vocabulum à nobis impin-  
 gi sibi, vel tantum Jansenismi suspicione no-  
 tari se audiunt, omnia implent querelis,  
 exostulant de gravissima injuria, minantur,  
 frendent, modestiæ omnis & Charitatis obliti  
 nihil spirant præter ultionem. Ne autem Au-  
 gustini Discipulos existimes non loqui aut  
 agere consequenter: Palladius adversus Steyar-  
 tium scribens facilè omnia conciliat: Ideò,  
 inquit, Jansenistarum nomen ægrè ferimus,  
 quia sub eo passim intelliguntur *homines exoti-  
 ci, nec sanæ fidei*. At si intelligerent eos qui  
 Iprensam Augustinum ubique consentire Hip-  
 ponensi prædicant, *honoris sibi nomen illud duce-  
 rent ac gloriæ*. Ego aliàs professus sum, &  
 rursus profiteor me Jansenistarum nomine  
 aliud non intelligere formaliter, & imme-  
 diatè, quam eos qui Janseniana placita saltem  
 in materia controversa sequuntur atque de-  
 fendunt; quamvis accedente Pontificio ana-  
 themate quo propositiones quinque in Jan-  
 senii sensu debellatæ sunt, sequatur quod ea-  
 rum

rum



rum post inflictum anathema propugnatores, vel ab illis non recedentes, fidei sanæ, si usquam fuerint, esse desinant; de exotici nomine rixam non moveo. Si errasse hic palladium, si hallucinatum esse Arnaldum, si criminatum Amplissimum Neo-Augustinianorum præpositum, si Reuerendum admodum Dominum G. sancti Martini apud Jansenistas Priorem injuriam esse suis subditis aut fratribus contendant Eximius D. Martinus Henricus de Swaen, & Eruditissimus D. Petrus Melis, aucto ex ipsis intelligere. Scio imprudentes illos vocabunt nimique candoris arguent, imò & sermonis durioris: at eos in materia quinque Propositionum non fuisse assecutos mentem utriusque Augustini, se in materia hinc controversa quoad substantiam siue ullius momenti quæstionem ab illis dissidere, fallor si umquam edicturi sint, tantâ feruntur esse erga famosos illos Jansenismi Confessores, licet minus cautos, reverentiâ, certè tantâ hæcenus fuerunt erga Jansenium.

Ex fructibus arbor cognoscitur, ex Discipulis Magister, ex Alumnis præses, ex Domesticis Pater-Familias. Quisquamne prodeuntes ex alterutrius præsidis Eximii aut Eruditissimi Collegio Theologos audivit dicentes Anathema Janseniano sensui prout in  
ejus



ejus Pseudo-Augustino exprimitur? Quisquamne audivit eos commendasse vel admisisse Formulare Alexandri VII, aut saltem humanam fidem præstitisse Pontificiæ huic Constitutioni, & si non ut Hæreticas saltem ut falsas rejecisse Propositiones V. Iprensis Augustini sensu intellectas? An ejusmodi Præsides, tot rationibus allatis, aliisque quæ proferri possent, in Jansenismi suspensionem vocati, etiamnum conqueri pergent, quod suspensione tam atra non liberentur, dum ipsi ne verbum quidem unum facillimum, certissimum, supremâ autoritate definitum, omni Theologo honestissimum proferre dignantur, quo mox omnium sinisterarum opinionum nebulae dissipentur? Quis credat eos probè Catholicos, quantumvis hominum superumque fidem inclament, dum Hæretica dogmata, eo sensu quo hæresios convicta sunt, & irrefragabili judicio condemnata averfari nolunt toties rogati, toties importunâ adversariorum provocatione, scriptis publicis instigati, & quodammodò compulsi? Quis credat mulierculæ vim sibi illatam querenti si eo loco fuerit ubi vel verbum loquendo, cum posset facillimè, vim omnem avertisset?



*Difficultates & Epistola Apolog. ab  
omni calumnia vindicantur.*

**Q**uid igitur proferent Eximius & Eru-  
ditissimus ut probent, quod aiunt in  
Libello supplice II. Jan. hujus anni 1692.  
oblato Universitatis Rectori varios Libellos fa-  
mosos scilicet nomine Didaci de Oropega Lovaniensis  
Theologi, fidei & fame Exponentium graviter in-  
jurious, quorum unius titulus est. DIFFICUL-  
TATES PROPOSITÆ &c. & alterius EPIS-  
TOLA APOLOGETICA? Quare recurrunt ad M.  
V. supplicantes humillimè, quatenus Promotori suo  
injungere dignetur, ut promptim, & indilatè  
(miror non dixisse etiam indilatim) dictos  
Libellos arrestet, & à dicto Typographo auferat,  
sub M. V. consignandos quod faciendo &c. Hoc-  
cine accusare est? Nullum profertur ex Li-  
bellis meis verbum, nulla sententia, sed  
confusâ, à cæca criminatione arguuntur ut  
Libelli famosi, ut graviter injuriosi famæ  
Exponentium Martini de Swaen & Petri Me-  
lis. Quid si ego pariter Libellum supplicem  
offerri curem Rectori Magnifico adversus  
geminam tuam Martine Epistolam tanquam  
ad-



adversus Libellos famosos fidei & fame exponentis graviter injuriosos? Profectò Paulò facilius accusationem probarem quam vos vestram imò securè affirmo, nullam in Difficultatibus propositis, nullam in Epistola Apo'getica esse injuriæ speciem, nullam in Libello supplice micam veritatis. Quid enim Martine, Difficultates propositæ continent nisi refutationem Epistolæ tuæ prioris in qua me apud Illustrissimum Sebastenum Archiepiscopum singulis pene paginis de calumnia insimulasti? Qua lege, qua consuetudine teneor tot criminum publicè accusatus obmutescere? Neque responsum edere à Censore ordinario visum & approbatum? Itane solent Libellorum famosorum Autores? At nomen meum vobis ignotum est, ideone fictitium? Notus sum Censori, notus centenis in Belgio nomine Didaci de Oropega. A quo tempore vobis Libelli famosi sunt quicumque ab Autoribus procedunt quorum nomina minùs celebrata sunt, neque rudi vulgo cognita? An scripta Petri Aurelii, an Ægidii Candidi & Albani, ideò famosa sunt quia nomina præ se ferunt quæ captum superent imperitorum? nihil falsi, nihil fictitii nomen continere quod opusculis meis inscribitur, Didaci nomen in Baptismo mihi impositum, nomen Oropegæ genus meum

C

signi-



significare, aliàs monui, & iterum affirmo: neque illud ignorat fortè ipse Martinus qui Græca Lexica consuluit, nisi, quod facilè crediderim, cum dixeris parùm admodum græcè peritum. Neque *nomen fictitium* sufficit ad Libellum famosum *fidei & famae* vestræ *graviter inuriosum*. Certè non tantùm ab omni calumnia *Difficultates* sunt remotissimæ, verùm & licet gravissimè Epistolâ vestrâ læsus, ita me intra modestiæ limites continui, ut, quanto potui studio, caverim, ne quid scriberem acerbiùs, ita stylum moderatus sum ut lenis prorsùs sit, & humilis, ad blandities subinde, & jocos non infuses, non inurbanos, levando non nihil Lectoris tœdio composuit. Si Approbatoribus tuis aliquid in opusculo meo displicuit. Cur non indicarunt scripto v'ri illi alioquin tam graves, tam eruditi? responsum à me retulissent, si non votis suis, & consiliis, saltem meritis utcumque adæquatum. Non aliud *Difficultates* ceteræ continent, quam doctrinæ vestræ cum Jansenianâ conformitatem. An non hæc reverà subest quoad sensum & substantiam?



*Executio Promotoris de manifesta  
injustitia convincitur.*

**S**uperest ut aliquid dicam de illo opere tenebrarum, cum die II hujus mensis Promotor Universitatis sero vespere sub medium decimæ invasit domum Hieronymi Gosyn non minùs miseri Bibliopola, quàm Typographi pauperis. Laborat vir bonus ut, quod diurno opere non satis potest, saltem nocturnum jungendo, uxori & liberis victum tamen lucretur. Cùm ecce sub medium decimæ irruit in ejus domum Universitatis Promotor sùpatus Notario & duobus seu satellitibus seu testibus. Emptoris cujusdam verosimiliter eo conducti manibus eripiuntur Libelli duo Didaci de Oropega, alter *Difficultates propositæ*, alter *Epistola Apologetica*: jubetur Typographus etiam tradere Epistolas ejusdem Didaci ad Illustrissimum Internuntium, & si quod aliud repertum fuisset opusculum hoc notatum nomine, procul dubio Promotor æquè ac priora sustulisset. Lustratur Officina, Typographiæ anguli omnes excutiuntur, Libellus, cui titulus *Lettre à*



*Monsieur Arnaud* & cujus jam parabatur secunda editio, à censore ordinario approbata, etiam aufertur. Ne verò existimes publicum Universitatis Administrum imprudenter processisse aut injustè, tabulas exhibet, quibus Rector Magnificus ad se per Promotorem deferri jubet duorum Libellorum exemplaria, quibus titulus *Difficultates propositæ & Epistola apologetica*. Atqui, inquit Typographus, Epistolæ sex ad Illustrissimum Internuntium tabulis tuis non continentur, quâ igitur potestate, quo jure Epistolas etiam illas tibi vendicas? at ille, quidquid sit de mea potestate, quidquid de jure, tu mihi Epistolas etiam illas cedo illico, aut ego te. Sufficiebat scilicet Promotori nomen Didaci de Oropega adeò quibusdam Lovanientibus infestum, ut Libellus quamvis ad Illustrissimi Archi-Episcopi defensionem, adversus obscuri cujusdam denuntiatoris calumnias conscriptus, Promotori videretur non tolerandus. At saltem, ait Typographus, relinque mihi exemplar quod unicum habeo Epistolæ ad Arnaldum; nam alioquin cessare cogar ab opere, quo mihi meisque victitandum est. Quis mihi præstabit damni compensationem? an non vides Epistolam hanc Gallicam non esse Didaci de Oropega? si  
non



non viderit, non videtur ex defectu luminis excutiisse; nam præter lumen domesticum lucernam ipse tribus candelis, nescio an domi suæ, an in popina, unde recenter tunc exiisse narratur, instruxerat. Si ita est, meo quidem iudicio, præstitisset ad tam illustre facinus paulò minus luminis adducere, sed plusculum sobrietatis. Nulla hominem movebat æquitatis ratio, nullum eum potestatis suæ limitatio morabatur, etiam Epistola illa erepta est, unde Typographus opus interrumpere coactus, incommodo suo, & si ad viri egestatem attenderis, damno non levi. Tenuit hæc Tragedia usque ad horam noctis undecimam summa totius familiæ perturbatione, summo luctu. Postridiè manè Magnificum Rectorem adit Typographus, queritur de injuria, declarat Libellum cui titulus *Difficultates propositæ*, esse ab ordinario approbatum, Epistolam autem, ut vendi publicè possit Approbatione non egere, ut patet ex praxi quotidiana, sed & approbationem habebat Epistola, licet eam non præ se ferret. Ad Epistolas autem Illustrissimo Internuntio scriptas quòd attinet, ostendebat non tantum approbatas eas esse, sed neque comprehendi Libello supplice DD. de Swaen & Melis, neque Mandato Rectoris.



Idem monebat de Libello Gallico *Lettre à Monsieur Arnaud.* Qua propter summâ animi demissione rogabat Magnificum Dominum ut & Libellos sibi restitueret, & juberet refarciri damnum quod opus suum interrumpere coactus patiebatur. Respondet Magnificus, ignorasse se, *Difficultates* ab ordinario approbatas fuisse, existimasse se, ut duo illi viri graves in suo Libello supplice asserabant, tum *difficultates*, tum Epistolam Apologeticam esse Libellos famosos: circa Epistolas ad Illustrissimum Internuntium, uti & circa Epistolam ad Arnaldum, promotorem potestatis suæ limites excessisse. Quare & tu, inquit, Libellum supplicem conscribi mox cura, sententiam non differam. Libellus supplex geminus conscribitur: alter, quo repetatur Exemplar sex Epistolarum ad Illustrissimum, & Epistola Gallica ad D. Arnaldum; prætereà postuletur satisfactio pro damno orto ex cessatione operis: alter, quo repetatur exemplar *Difficultatum propositarum*, & Epistola Apologetica ad Archiepiscopum Sebastianum. Oblatus est uterque Magnifico D. à quo responsum, *communicetur parti*, & circa primum ut deliberet ad contenta hujus intra octiduum ab insinuatione, ad secundum intra Triduum. Typographus litem hanc nimium pro-

tra-



trahendam satis prospiciens, & de hoc ab aliis monitus querebatur de sententiæ dilatione in re tam manifestè injusta: cumque nihil obtineret, neque longioris litis sumptibus par esset, præsertim ubi adversus homines tam potentes agendum foret, præterea cum minus tutum sit pauperi Academico & Typographo, offendere promotorem & DD. à quibus molestiâ subinde potest affici, maximè ubi quis ex factione illa statuitur Academiæ totius supremus Moderator, maluit ad evitandam vexam aliquid de jure suo remittere, & cum adversariis amicè convenire. Dominus de Swaen solvit Promotori pro adhibita opera, redditur Typographo Epistola ad Arnaldum ut pergat in editione secundâ, redduntur emptori, qui pretium Typographo solverat, *Difficultates propositæ*, & *Epistola Apologetica*. Superest exemplar unum Epistolarum ad Internuntium, cujus restitutionem etiam offert Typographo Magnificus Dominus modò asses sex pro Apostilkâ geminâ numerentur; cur enim gratis utrique Libello supplici Magnificus respondeat, & scripto quidem per Universitatis Secretarium?

Pergit autem Typographus nunc publicè divendere Libellos omnes. Huc tandem omnis adversariorum machinatio & apparatus

tus



tus recidit. *Parturiunt montes nascetur ridiculus mus.*

Si accusationem suam probare potuissent adversarii, si Libellos meos de calumniis convincere, si *Fidei*, si *famæ sue gravissimè*, ut loquuntur, *injuriosos* demonstrare, si etiam non puderet eos tam insulsæ criminationis, & Libelli supplicis viris gravibus, Theologis, & præsidibus parum digni, non destitissent à postulanda opusculorum prohibitione, non paterentur distractionem eorum publicam, & affixis ubique novis programmatis buccinationem.



CAPUT II.  
 INSTAURATIO  
 DIFFICULTATUM

Nuper propositarum Eximio D.  
 MARTINO HENRICO  
 DE SWAEN, S. T. D.,

§. I.

*Ostenditur ineptum esse discrimen  
 sententiam Jansenii inter & Exi-  
 mii D. Martini etiamsi suppose-  
 retur non esse postero consilio ab eo  
 excogitatum.*

**P**aucis me convenisti, Eximie Domine,  
 sed in hac ipsa rationum paucitate,  
 verborum nimis prodigus. Epistolam  
 tuam mihi inscriptam vocas *Resolutionum bre-  
 vem difficultatum*; verum si hoc difficultates  
 resolvere est, quid tandem est imperitis im-  
 ponere, difficultates subterfugere, declinare  
 responsum, sensum studiosè occultare, æqui-  
 vocationibus ludere pueriliter? In



In Epistola ad Illustrissimum Sebastenum Thomisticas quasdam locutiones ad obvelandum sensum tuum Jansenianum adhibueras, atque *hinc* concludebas *lucē Meridianā clarius evadere*, quod tu tuique montaltiani, Alticollenses inquam Alumni, ab omni periculo damnatarum propositionum circā materiam de Gratiā & Libero Arbitrio sitis remotissimi: monui esse inanissimum sophisma; quænam enim argumentandi ratio est, *admitto locutiones Thomistarum aliquas, ergo Thomista sum?* Sic facilè Hæretici inter Augustinianos locum invenient. Sic fient omnes Discipuli Spiritus Sancti modò locutiones aliquot Augustini, & Scripturarum adhibeant, seque non aliud credere, non aliud docere profiteantur quàm quod Augustinus credidit, non aliud quam quod docuit, non aliud quam quod Spiritus sanctus revelavit; quasi verò iisdem vocibus uti quis nequeat sensu longè disparato, vel etiam opposito? Sic difficultatem persecutus sum: nihil est quoad rem & substantiam in tua fidei professione quod Pseudo-Augustino Cornelii Jansenii principiis ac dogmatibus non congruat, addere potuissem vix est terminus in tua expositione, qui Jansenii non sit. Atqui certum est Jansenium quinque propositionum famosarum  
reum



reum esse, eas in sensu illius qui in Pseudo-Augustino exprimitur, esse hæreticas, ergo ejusmodi locutiones minimè sufficiunt ut te tuosque Alumnos ad Missionem Hollandicam destinatos à Jansenisni liberes suspicione. Tandem aliquando propositionem primam negare videris dum scribis te gratiam efficacem in *delectatione indeliberata* non constituere, atque hoc te iam dudum publicis in *Thesibus* tradidisse. Nescio an Theses tuas omnes nactus sim, alioquin in colligendis ejusmodi lucubrationibus non planè incurius. Cur Thesim non designasti? cur diem, mensem, vel annum saltem non indicasti, quo ejusmodi *Thesibus* hæc tam dilucidè professus es? plures mecum Thesim illam libenter adiissent exploraturi sententiam tuam, quæ, ni fallor, inter famosos Augustini Discipulos rarissima est, si non prorsus singularis. Sed nolim tibi molestus esse, quidquid sit de præterito, nunc saltem asseris te gratiam per se efficacem in *delectatione indeliberata* non colligare. Gratulor tibi Eximie Dómine discrimen saltem aliquod tuam inter & Jansenii doctrinam, atque utinam, qui tam longis passim alienæ sententiæ citationibus verba perdis, & operam, sensum nobis tuum de gratia per se efficaci verbo uno significasses!

secu-



ecurius te , modo pauca quædam momen-  
 ti paulò gravioris accesserint , ut sanioris do-  
 ctrinæ Theologum , ut Thomistam , ut pro-  
 bè Catholicam complecteremur. Edoce nos  
 nunc saltem , in quo gratia per se efficax à  
 te collocetur , si non in delectatione gra-  
 tiæ indeliberata ? intereà difficultas ma-  
 net in salvanda libertate stante gratiâ tua per  
 se efficaci , nam discrimen illud quod indi-  
 cas , etiam supposito , quod Janseniano more  
 fucum non facias , neque Lectorem simpli-  
 cem æquivocatione subdolâ , vel restrictione  
 non deludas , discrimen inquam illud tuum  
 potest esse merè materiale : & , ignosce arca-  
 na mentis tam ingenuè confitenti , merè ma-  
 teriale esse suspicor , minimè Thomisticum ,  
 & ad libertatem salvandam nihil adferens  
 præsidii potius , quàm præstet indeliberata  
 Jansenii delectatio. Quid enim juvat si-  
 ve statuatur in clarissima mentis illustratione ,  
 si-ve in delectatione voluntatis , si-ve in dis-  
 positione quadam mortua ; quam nec intel-  
 lectu percipimus , nec experimur in voluntate ,  
 modò virtutem à voluntate in his circum-  
 stantiis insuperabilem contineat tenentem se  
 ex parte actus primi , ut se tenent vires omnes  
 si-ve ab extrinseco si-ve ab intrinseco provenien-  
 tes æquè libertas interimitur : quid autem refert ,  
 gla-



gratidione an cultro, fullonis fuste, an mandibula Asini hominem interficias, minusne homicidii reus es? Vim homini intulisti privata autoritate, sine moderamine inculpatae tutelae innocentem peremisti. Instrumentorum discrimen merè materiale est moralem homicidii speciem non mutans, neque imminuens pravitatem. Temeritatis me redarguis quod dixerim te gratiam efficacem in *delectatione indeliberata* collocare, qui nihil proferre possim ubi quid simile vel per umbram significaveris. Adeo ergo Thesim tuam anni 1687 die 7. Aprilis §. 3. ubi sic statuis: *Supponimus autem hic uti abundè constat ex §. 4. conclusione 1. clariusque patebit ex sequentibus manifestum esse nos bina illa opera, quibus sanctificatio secunda obtinetur nequaquam adscribere viribus naturæ, aut Libero Arbitrio, gratiam possibilitatis ad opera illa exequenda determinanti, sed potius Spiritui sancto Liberum Arbitrium DELECTABILITER ET INSUPERABILITER moventi, simulque Libero Arbitrio taliter à Spiritu sancto moto. Si Spiritus sanctius operetur in nobis opera salutifera delectabiliter & insuperabiliter, operatur in nobis per delectationem: per hanc nos movet non per se ipsum immediatè & formaliter: delectatio autem illa non est deliberata ut omnibus manifestum est; nam delectatio movens*

D

ad



ad consensum, qui est actus deliberatus, debet illo Prior esse & necessariò ab illo distingui. Nihilne simile tradidisti in Thesisibus anni 1689. 26 May? Illic reperio §. 26. hanc, ut ais, sinceram mentis tuæ interpretationem. Aliud igitur non volui, quam eum cuius Deus miseretur, rectè dici juxta Augustinum à Deo ita congruè vocari, ut vocantem non respuat, quia Deus quempiam exterius vocat, eum interius tam fortiter, SUAVITERQUE AC PROINDE CONGRUE afficit, ut vocantem is minimè respuat, sed liberrimè libentissimeque sequatur. Clarius eodem §. Paulò antè: dixeram itaque quod si quis mallet S. Augustinum intelligere, de internâ, aut saltem de externâ internam complectente, ita intelligendus foret, ut ideò censeat hominem à Deo vocari, sicut ille novit ei congruere, quia novit efficaciam vocationis suæ, qua ita fortiter unaque tam SUAVITER in partes suas novit hominem trahere, ut hinc ille vocantem non respuat, sed infallibiliter, liberè tamen vocanti pareat; illinc nihil homini eâ vocatione accidere queat congruentius, NIHIL DELECTABILIVS; sequitur namque vocantem, QUIA SEQUI QUAM NON SEQUI LONGE IPSI EST DELECTABILIVS. Suprà dictum est quod Deus hominem moveat delectabiliter & insuperabiliter, nunc autem dicitur homo sequi vocationem quia sequi longè ipsi est delectabilius; quis



quis aliter locutionem hanc intelligat quam quod ideo sequatur quia divina vocatio, motio seu gratia efficax ipsum magis delectat? Præsertim cum ibidem expressè dicatur quod *nihil ipsa vocatione accidere queat congruentius, nihil delectabilius*. Si vocatione efficaci sive victrici gratia nihil accidere possit congruentius, nihil delectabilius, si ideò homo sequatur gratiam, quia nihil ipsa delectabilius est, an temerè collegi gratiam efficacem à te collocari in delectatione eaque indeliberata? nam gratiam non esse actum deliberatum satis certum est. Denique socios, & Majores tuos, quos ubique inclamas, hanc statuisse gratiam efficacem notius est, quam ut probatione egeat, luculentam tamen polliceor, si postulaveris.

Sed neque ulli crimini vertitur, nec propterea in Jansenismi vocatur suspicionem, quòd in delectatione gratiæ indeliberatâ efficacem gratiam constituat.



*Concepta de Martino suspicio Janse-  
nismi stabilitur.*

**I**N quo igitur, inquis, consistit "Doctri-  
na, quàm à me teneri, & à SS. PP.  
damnatam asseris? An fortè quòd doceam  
gratiam per se efficacem, eamque cum  
Thomistis vocem & esse censeam Physi-  
cam præmotionem? An quod illam ad sin-  
gulas actiones undequaque bonas requi-  
ram? An quod veras admittam Christi gra-  
tias quibus verè, & actualiter resistatur?  
An quia præter gratias sufficientes, ad posse  
quoddam propinquum, requiram insuper  
gratiam à se vel ex Deo ipso efficacem,  
qua mediante illud posse reducatur in actum,  
sive qua mediante bene homo operetur?  
An quod doceam semper habere eum effe-  
ctum, ad quem obtinendum absolutâ vo-  
luntate Dei datur? Denique an quia in li-  
bero arbitrio sub gratiâ per se efficaci con-  
stituto, libertatem admitto quæ includat hæc  
tria; indifferentiam scilicet objectivam ju-  
dicii ex parte intellectûs, & duo ex parte  
voluntatis; nempe immunitatem à coactio-  
ne,



„ne, & à necessaria determinatione ad unum?  
 „Sive, ut verbis Gonetii utar, spontaneita-  
 „tem, & simul actualem voluntatis indiffe-  
 „rentiam, seu potentiam ad oppositum?

Non ita arguo Martine, doces gratiam per se efficacem, eamque cum Thomistis vocas & esse censēs præmotionem Physicam & sic de cæteris assertionibus jam enumeratis ergo tenes doctrinam à Summis Pontificibus damnatam. Accipe argumentationem mihi familiarem. Universa doctrina tua optimè conciliatur cum quinque damnatis Propositionibus; nam & Jansenius, licet Propositionum quinque Autor esse convincatur, & in ejus sensu damnatæ sint, ejusmodi locutiones subinde adhibuit, neque ullum alicujus momenti discrimen adferre hæctenus quantumvis provocatus potuisti, neque ullis precibus ulla adversariorum provocatione exprimi tibi potuit vox ulla qua videreris Jansenianum sensum hæreticum averfari.

Imò rationem tergiversationis hanc ultrò reddis *Thesi sæpius citatâ quis non videat periculum imminere non infundatum, si propositiones famosas damnarem in sensu ab Autore intento, ne hinc inferat aliquando R. P. Isaacus de Bruyn, me non meam tantum, sed etiam majorum meorum doctrinam imprudenter damnasse? Ergo non*



es satis perspectæ fidei Theologus, sed de Jansenismo non immeritò suspectus: appello iudicium omnium Catholicorum, an suppositâ veritate antecedentis, quæ partim à me in difficultatibus, partim à Cranebergio in Fraude Articulorum demonstrata est, & si negare ausus fueris, quod te non ausurum certò scio, pluribus deducere paratus sum, appello inquam iudicium omnium Catholicorum, an suppositâ veritate totius antecedentis non sequatur spontè suâ conclusio? Nullum hîc Martine crimen occultum propalo, omnia ex scriptis tuis & Jansenii manifesta sunt.

## §. 3.

*Tergiversationis Jansenianæ excusatio ineptiæ convincitur.*

**E**Gregiam tergiversationis tuæ toties tibi objectæ rationem sic tandem interpretaris: *Quis enim non videat quam facîle cuipiam hisce principiis imbuto quibus imbutus est R.P. Isaacus de Bruyn, hæc, similisve elabatur ratiocinatio: Per Concilii Tridentini Decreta, nec non per constitutiones Summorum Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. damnata est omnis*  
gra-



*gratia necessitans; sed gratia per se efficax qualis est exempli causa gratia, quam tuetur eximius Antagonista meus Martinus Henricus de Swaen, est gratia necessitans: Ergo per Concilii Tridentini Decreta, nec non per Constitutiones Summorum Pontificum Innocentii X. & alexandri VII. damnata est gratia per se efficax qualis est ea, quam tuetur idem Eximius Antagonista meus. Non inanem metum esse probas assensu Gonetii. Idem, inquis, planè periculum neque alteri gratia, quam gratia per se efficaci metuebat mecum Gonetus ab iis qui malè dictas Constitutiones intelligerent. Nesciebam Martine te rerum etiam pessimarum mangonem esse tam peritum. Ego verò fucos istos facilè absterfero. Vel judicabas ratiocinationem ejusmodi solidam esse, vel non? Si solidam censeas agnoscis te defendere sententiam sapius & maximè solemniter condemnatam. Si solidam esse neges, ut negabis procul dubio, non erat cur tanto cum Ecclesiæ scandalo recusares Definitionibus Apostolicis suffragari. Ex ore tuo te judico: idem periculum agnoscis, ne ejusmodi ratiocinatio elabatur circa Decreta Concilii Tridentini, quidni igitur etiam Concilii istius Decretis reluctaris? Atqui ejusmodi ratiocinatione contemptâ subscribes, ut confido, Decretis Concilii; non fuit.*



fuit igitur cur te ratiocinatio ista averteret à præstanda debita Pontificia Constitutioni reverentiâ. Absterruitne metus ille Conetum, quo minus Jansenii sensum detestaretur? Necessè est ergo aliud lateat mysterium, cuius revelandi nondum tempus est. Mihi quidem non adeò videtur obscurum quæ Janse-  
niana doctrinæ cum tuâ conformitatem tantam reperio, ut nihil sit alicujus momenti in iis omnibus quæ hæctenus scripsisti quod Jansenio opponitur. Si dubites aliquid exhibe, & vel nullum penitus, vel nullius momenti esse, suscipio ostendendum. Da gloriam Deo, an non ideò detrectas damnare quinque propositiones in sensu Jansenii prout libro ejus continentur, quidquid sit de sensu, quem Iprensis habuit in mente, quia Jansenii doctrina vel eadem est cum tua, vel adeò illi affinis ut non possis deprehendere discrimen aliquod sufficiens, & quod referri mereatur?

Paulò distinctiùs exponi mihi à te cupio, Doctor Eximie, quod ais in falsitate septima. *Falsum est, inquis, me unquam sustinuisse quod ex Constitutionibus prædictis (Innoc. X. & Alex. VII) rite intellectis inferri possit, doctrinam de gratia & de libero arbitrio prout illa in Scholis Lovaniensi, aliisque supra memoratis*  
tra-



traditur, ab Ecclesia Romana damnatam esse. Qui malè agit, sentit, docet, odit lucem. Dic candidè, quid occulas arcani sub isto ritè intellectis. Ego latere cenſeo intelligendas eſſe Conſtitutiones illas ut proſcribant, & anathemate feriant propoſitiones quinque in ſenſu minimè Janſeniano, nunquid mentem tuam aſſecutus ſum?

Plura te rogarem, niſi conqueſtus fuiſſes nimis me tibi moleſtum eſſe *interrogationibus*. Fallor, tantùm moleſtæ tibi ſunt *interrogationes ſuperflue*; minimè verò ſuperflue ſunt, quæ ad fidem alioquin non ſatis exploratam, clariùs perſpiciendam ſunt neceſſariæ. Reſponſum detrectare honeſtè non potes, qui in Epistoſa tua *reſolutionem difficultatum* pollicitus es. Reſolutio autem brevis adedè eſt, & levis, ut ne unam quidem difficultatem expediat. Patere ergo *interrogationibus* paucis difficultates tibi ruruſus proponam præcipuas.



*Proporuntur iterum Difficultates  
quædam Eximio.*

**A** Is gratiam omnem in hoc statu obtinere quemlibet effectum ad quem absolutâ Dei voluntate conceditur: ullusne hoc unquam negavit? quisquamne Theologorum adeò deipuit, ut jactaret voluntatem Dei absolutam seu efficacem, quandoque inanem esse, aut ullâ elidi creaturæ perviciâ? Adis gratiæ aliquando resisti etiam in statu naturæ lapsæ; resisti gratiæ suæ medicinali, etiam Thomistarum physicè prædeterminanti disertè fassus est Jansenius; sed non eâ resistantiâ, quæ fidei Catholicæ & Pontifici's Constitutionibus sufficiat. Talis resistantia admittenda est, qua gratia frustratur effectu suo, ad quem voluntate Dei antecedente datur, ad quem verè sufficit in his circumstantiis, ita ut ad effectum obtinendum, nihil positum extra potestatem creaturæ præterea requiratur quod se teneat ex parte actûs primi. An etiam tua gratia excitans, quam ad fucum faciendum vocare tibi placuit inefficacem, & Thomisticè sufficientem, fru-



frustratur effectu suo ad quem à Deo voluntate antecedente datur, ad quem verè hìc & nunc sufficiens est, ita ut nihil tenens se ex parte actûs primi positum extra potestatem hominis prætereà desideretur, ut sequatur effectus, sive consensus libertatis? an gratia tua efficax non præstat vires, seu robur voluntati? Vires autem tenere ex parte potentia seu actûs primi est evidens. Contrà gratia Thomistarum prædeterminans, ut communiter ab eis explicatur, est mera applicatio potentia, viribus jam verè sufficientibus instructa. Quemadmodum enim determinatio activa creaturae, sive ipsa ejus actio non se tenet ex parte actûs primi sed secundi, non præstat potentiam, non vires voluntati, sed eas necessariò præsupponit, cum sit ipsa virium seu potentia viribus jam verè sufficientibus completa applicatio, ita & prævia Dei determinatio in sensu Thomistarum communissimo. Si verò gratia tua inefficax non præstet vires hoc modo sufficientes, si prætereà vires petat ab efficaci, qua destituta est, numquam frustratur effectu cujus in his circumstantiis capax est, adeoque potius gratia sufficiens homini deest quam homo gratia, quandoquidem juxta te omnem à voluntate effectum

Etum



Etum impetret, cujus in his circumstantiis est  
 capax. Hocine est resistere gratiæ, hoc  
 admitttere gratiam sufficientem? Et cur  
 ubi sufficientem vocas, tam sollicitè sem-  
 per subdis illud notoriis Jansenistis fami-  
 liare, Thomisticè, in sensu Thomistarum, ut Tho-  
 mistæ loquantur? Suspiciantur alii nec planè  
 temerè, has particulas tibi alienantes esse,  
 quibus significes hanc gratiam vocari qui-  
 dem à Thomistis sufficientem, & talem ab  
 illis existimari, sed reverà non sufficere; sed  
 cum factionis vestræ Heroe Montaltio, cum  
 amicissimo vobis Palladio, cum Duacenis  
 vestris confœderatis & clientibus explodi ut  
*ladicrè sufficientem; sufficientem non re sed voce*  
*tantum, sufficientem non sufficientem.* Ejusmodi  
 gratiæ cum tribuuntur justis præcepta trans-  
 gredientibus, quomodò hæc non sunt illis  
 impossibilia quandoquidem justi secundum  
 præsentis quas habent vires velint & conen-  
 tur illa observare? Quomodo non deest  
 illis gratia, non quidem illa Pseudo-Augu-  
 stinianè & Pseudo-Thomisticè sufficiens, sed  
 sufficiens verè & simpliciter? Quomodo per  
 gratiam illam tantum in sensu alieno & lu-  
 dicre sufficientem quæ revera non sufficit,  
 non statuatur etiam libertas tantum in sensu  
 alieno? Libertas tantum ludicra? Libertas

NON



non libertas? Solam inquis in actibus nostris meritoriis & demeritoriis admitto necessitatem *infallibilitatis & consequentiae*. Sed fucum detexi in *Difficultatibus propositis* ubi ostendi necessitatem consequentiae & infallibilitatis distinguui à necessitate consequente, sicut genus à specie, necessitas infallibilitatis & consequentiae potest esse antecedens; nam infallibile est, & rectè sequitur; *Gratia Calvini est, ergo necessario est effectus: sol est ergo necessario est lumen*. Unde nullo modo, sequitur: *non aliam admitto necessitatem quam infallibilitatis & consequentiae: ergo solam admitto necessitatem consequentem & non etiam antecedentem*. Antecedentem juxta te esse transgrediendi mandati necessitatem in eo, qui non habet gratiam efficacem, jam declaratum est, quia defunt illi vires reverà & simpliciter sufficientes. Non alia sub efficaci tua gratia libertas est, quia cum gratia ista teneat se ex parte actus primi, cumque eà *agatur homo insuperabiliter, inclinabiliter*, ut in *Thesibus* tuis saepe profiteris, sublata est indifferentia per aliquid se tenens ex parte actus primi, adeòque est necessitas antecedens; quid enim aliud ad necessitatem antecedentem requiras, quam ut aliquid se tenens ex parte actus primi ita me afficiat, ut illud nec declinare possim, nec superare: &

E

con-



consequenter non impedire, quo minùs consensus cum illa dispositione necessariò conjunctus ex illa dimanet?

Parum te juvat vocabulum præmotionis Physicæ, quod & Jansenio placuit l. 8. de gratia Salvatoris toto capite 3. cujus hic est titulus, *Adjutorium Christi determinat, ac prædeterminat etiam Physicè voluntatem ut velit, &c.* Tum col. 823. *Sic enim Deus avellit cor lapideum, & dat cor carneum, sic animum efficacissimâ potestate convertit, sic duritiam cordis aufert, sic operatur velle atque perficere, sic ex nolentibus & repugnantibus volentes & consentientes facit. Non enim hoc aliter facit quàm voluntatem inclinando, applicando, determinando: & quia prævenit ipsam voluntatis determinationem, etiam prædeterminando, non solum moralitè sed verâ, reali, & physicâ determinatione.* In difficultatibus ostendi Jansenium non tantum nomen gratiæ physicè prædeterminantis, sed distinctiones, solutiones, responsiones Thomistarum omnes omninò admisisse, sed subdolè, & salvandæ gratiæ suæ medicinali voluisse applicatas. Sic pallium Thomisticum affectare didicerunt à Magistro suo novi Augustini Discipuli.

Definitum est in propositione quartâ Jansenii Semipelagianos non admisisse gratiæ interioris necessitatem ad omnes actus bonos  
ctiam



etiam ad initium fidei: cur ubi sensum tuum exprimis circa propositionem quartam tam studiosè celas partem hanc propositionis Priorem, solo verborum lusu circa propositionis partem posteriorem contentus? Hanc tergiversationem tibi, tuisque exprobraverat Cornelius à Cranebergh in Fraude V. articulorum cap. 4. eandem tibi objeci in *Difficultate VII.* cur in *Difficultatum resolutione* nullam difficultatis hujus tam notabilis, uti & ceterarum quas jam repetii, nihil resolutionis præstitisti? Quomodo possit humana voluntas gratiæ in sensu tuo dissentire, vel obtemperare, si velit, ex dictis facilè colligitur; nam ad consentiendum gratiæ inefficaci deest aliquid tenens se ex parte actus primi, desunt vires ad consentiendum verè sufficientes; præventus autem gratiæ efficaci habet dispositionem indeclinabiliter, inseparabiliter connexam cum consensu, adeòque tollitur indifferentia in actu primo. Neque hic juvat pallium Thomisticum, cum gratia prædeterminans Thomistarum ad omnes actus salutes requisita, juxta communem eorum declarationem sit nuda potentiae applicatio, vires & potentiam ad agendum præsupponens, & relinquens simul omnia prærequisita ad actus omissionem, prærequisita intelligendo, ut sæpe idem repetendo.



inulcem, omnia ad actum primum pertinentia. Eadem animadversio difficultatem tibi movet circa propositionem Jansenii quintam. Quomodo enim Deus ulli ex adultis reprobis, ut æternum salvaretur sanguinem suum fudit? Quomodo salutem ejus seriò voluit, & pro ea Patrem oravit, qui nulli reprobis gratiam ad æternam salutem verè sufficientem serià voluntate postulaverit? *libenter, inquis, subscribo huic resolutioni, quam circa propositionem quintam Aphorismis suis inseruit Collega noster Eximius Dominus Steyart 1. p. disp. 38. asserens quinte Propositioni inter damnatas per hoc satisfieri.*

„ Quod justii omnes adeòque & non præde-  
 „ stinati, gratias habeant, sensu supradicto  
 „ sufficientes ad salutem suam æternam ope-  
 „ randam, quas ipse Christus JESUS sanguine  
 „ & morte sua promeruit, ut proindè pro-  
 „ priè pro ipsorum salute sit mortuus, etsi  
 „ magis propriè pro prædestinatis. Addendo  
 „ præterea sensu generaliori etiam mortuum  
 „ esse pro cæteris omnibus, quatenus pro  
 „ peccato originali omnibus communi, adeò-  
 „ que pro communi causâ mortem subiit; me-  
 „ ritus etiam generalia salutis media & instru-  
 „ menta, ut Sacramenta, totidem Sanguinis  
 „ Christi vasa &c. à quibus neminem exclusit  
 „ suâ conditione, ut ipse Diabolus exclusus est,  
 „ pro



„pro quo proinde nullâ ratione Sanguinem  
 „fudit.” Cur propositionem cum Steyartio  
 non vocas quintam JANSENI? Cur non  
 Propositioni Pseudo-Augustini illius sensu  
 anathema dicis cum eodem Amplissimo Do-  
 mino? Quomodo sine restrictione asserere  
 potuisti, *quod iusti omnes, adeoque & non pre-  
 destinati gratias habeant sensu supradicto sufficientes  
 ad salutem suam eternam operandam, teque sub-  
 scribere huic Steyartianæ resolutioni?* Nonne ali-  
 quoties te monui non esse sententiam ean-  
 dem, licet iisdem expressam vocibus, si uter-  
 que voces suas sensu dispari accipiat? Tu pro-  
 fiteris sufficientiam gratiæ merè Thomisti-  
 cam, Steyartius eam rejicit, & statuit mayo-  
 rem; nam licet numquam juxta Steyartium  
 futurum sit, ut quis cum gratia merè sufficienti  
 agat sine efficaci, ita tamen illa sufficiens est,  
 ut reverà fieri possit, ut soli gratiæ sufficienti  
 homo consentiat sive consensum componat  
 cum gratia merè sufficienti, & negatione  
 gratiæ ulterioris, etiam omnibus iisdem cir-  
 cumstantiis permanentibus; sicut, licet num-  
 quam futurum sit, ut vir gravis, E. G. Exi-  
 mius Dominus saltet in foro nudus, præci-  
 dat sibi nasum, exsiliat è fenestra, scilicet  
 vigil & mentis compos, habet nihilominus  
 etiam vir gravis ad ejusmodi actiones arbitrii



libertatem. Tua verò gratiæ inefficacis sufficientia præstat potentiam Thomisticâ longè minorem, ut superius satis declaratum est. Ubinam autem Jansenius licet propositionis hæreticæ evidentè reus, negavit Christum pro peccato originali omnibus communi, adeoque pro communi causâ mortem subiisse? Ubi negavit Christum meritum esse generalia salutis media, & instrumenta, ut Sacramenta totidem Sanguinis Christi vasa &c.? Ubi asseruit quod Christus ab his salutis mediis quemquam excluderet conditione suâ, ut exclusus est Diabolus? Negavit verò Jansenius Christum pro peccato communi ab omnibus tollendo mortem subiisse, negavit Deum post peccatum Adæ prævisum, voluisse voluntate beneplaciti omnium prorsus hominum salutem æternam, licet eam voluerit voluntati signi, vel complacentiæ simplicis, quæ sensu Janseniano antecedens dicitur, sed talis, ut omni mediocum ad finem sufficientium præparatione, respectu multorum hominum destituatur. Inficiatus est Iprensis Christum meritum esse, ut generalia salutis media & instrumenta præpararentur, & offerrentur omnibus, prout singulorum status patitur. An non in his omnibus Jansenio suffragaris? Hæc & alia plura proposui tibi in nuperis  
 Dif-



Difficultatibus confusus fore, ut ab Eximio Domino ac Magistro nostro accuratam ad singula responsionem acciperem; atque eecum prodit *Resolutio*, in qua nihil minus resolvitur quam quod in difficultatibus proponitur momenti maximi. Leviora quædam accipiuntur neque ad illa quidem, ut par est, respondetur, quemadmodum jam satis prolixâ Difficultatum instauratione demonstratum est. Difficultatis aliquid hîc superaddere videtur Decretum Alexandri VIII. Quæro Eximie Domine, neque iuterrogatio superflua erit, ut aliàs vociferaris, dum responsio in promptu non est, aut apparet nimis invidiosa, quæro inquam an per hanc Aphorismi subscriptionem satisfacias Alexandro VIII. damnanti articulum hunc 4. inter 31. *dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis Electis, sed pro omnibus & solis fidelibus?* Vel saltem an cum Autore *Notarum brevium* tibi ut aiunt non ignoto, dicere sufficiat quod etiam infideles multi & hæretici aliquod à Christo beneficium participant, licet fortè ad salutem æternam per illud consequendam minimè sufficiens.

Vereor ne difficultates istæ, frequentiores tibi iterum, & molestiores videantur quam ut claram distinctam, & directam re-  
so-



soluionem singulis impertiendam putaveris.

## §. 5.

*Ineptiæ & falsitatis redarguitur, quod  
Martinus objicit de Memoria-  
li Hispanico.*

**I**nvidiosum est & importunum quod objicis famoso Memoriali Hispanico, in quo variorum ordinum Religiosi, & quidam Clerici insimulabantur Jansenismi. Perquam manifestum est, inquis, nihil in viris istis Religiosis reprehendi præter Doctrinam de gratia per se efficaci potuisse, ob quod apud Regiam suam Mæstatem suspecti redderentur. Nihil mihi cum isto Memoriali Martine, certè nullum ego unquam propter doctrinam de gratia per se efficaci Jansenianis annumeravi, neque ullum Lovanii Societatis Professore audiui dogma de gratia per se efficaci inter damnatos articulos recensentem, Imò centies audiui Jesuitas Professores palàm agnoscentes sententiam Thomistarum de gratia efficaci, licèt eam scholasticè impugnent, defendi Catholicè. Me Societatis Professoribus hìc consentire ipse non ignoras, qui id in scriptis  
meis



meis legisse te fateris præsentis resolutione. Adde numquam te ostensurum quod ullum Jansenismi insimulaverim, quantumcumque acrem gratiæ per se efficaciæ defensorem, qui Janseniano sensui cum Romanis Pontificibus dixerit Anathema. Confusa nimium est, ut sunt ferè resolutionis tuæ cætera, hæc tua criminatio. Quid enim confusum magis quam aliquem insimulari Jansenismi propter doctrinam de gratia per se efficaci? Quis nesciat quam varia esse possit & reipsa sit doctrina de istiusmodi gratia? Alia Doctrina est Jansenii de gratia per seipsum efficaci, alia Thomistarum, alia Amplissimi Collegæ vestri Martini Steyart, alia aliorum. Certum est aliquos propter Doctrinam de gratia per se efficaci posse suspectos esse de Jansenismo, alios minimè, pro sententiarum varietate.

Quamvis Religiosos nullos, uti nec alios Jansenismi temerè insimulatos velim, nimis tamen illimitata defensio est, quia ab omnibus illorum, quos enumeras, Ordinum Religiosis Jansenismi suspicionem procùl amoliri contendis, dum per quam manifestum esse confidentèr asseris nihil in viris istis reprehendi præter doctrinam de gratia efficaci potuisse, ob quod apud Regiam suam Majestatem suspecti redderentur, Committere scilicet me *visum* cum



Religiosis illis , vel cum Memorialis illius  
 Autoribus , si , ut soleo respondere accura-  
 tē ad singula , quæ responsi aliquid merentur ,  
 etiam ad hanc tuam importunē intrusam cri-  
 minationem respondero. Verūm neque hic  
 te sine responso dimittam , neque quidquam  
 proferam quod pars alterutra meritō repre-  
 hendat. Nullam ego in Memoriali illo par-  
 tem habui. Qui illud concinnarunt rogari  
 poterant dictorum seu scriptorum rationem.  
 Omnes tamen accusatos , ut tu vis , inno-  
 cuos esse , nulla Jansenismi labe aut suspi-  
 cione aspergendos , nullam ejusmodi suspi-  
 cionis occasionem nullum fundamentum præ-  
 buisse , præter doctrinam in Ecclesia recep-  
 tam de gratia per seipsam efficaci credam  
 difficillimē. Specimina quædam dedit Cor-  
 nelius à Cranebergh. Illustrius est illud quod  
 pag. 45. testatur se coram audivisse. Religio-  
 sus N. Ordinis tibi fatis noti , non ita pri-  
 dem Lovanii summo Academicorum con-  
 cursu , & applausu contrā sensa & mores An-  
 ti-Jansenistarum pro concione publicè de-  
 bacchatus fuerat , *hoc eum , inquit , inter cæ-  
 tera effutiisse memini , fuisse Illustrem in Eccl. sia  
 Episcopum ( Iansenium designabat ) qui ut super-  
 bum victricis gratia impugnatorem ( Molinam )  
 prosterneret , se comparaverat ab ineunte ætate ,*  
 &



& ut stylum acueret, se contulerat in Galliam, ac dein quinque limpidissimos lapides velut alterum Davidem sibi selegisse ex torrente Augustino, quibus superbum Goliathum (Molinam) deiceret. Apertius concionator ille instituto quidem Religiosus, reverà tamen notorius Jansenistarum affecla, se prodit in scriptis suis dein typo editis. Sic habet in Libello, cui titulus *Ultima vox Zelatricis innocentie* edito anno 1689. pag. 30. ubi referens Epistolam suam ad Eximium P. Hecke. " An autem, inquit, summi Pontifices in causâ Jansenii fuerint, reverà decepti, facti quæstio est, quæ ex deceptorum confessione, vel ex aliis exterioribus probationibus merè dependet. Quod Urbanus VIII. fuerit deceptus, patet ex propria ipsius Bulla &c. quod Innocentius X fuerit deceptus, ad oculum demonstratur ex ejus continua, & tam sæpè iteratâ protestatione Doctoribus Parisiensibus factâ, quod non vellet ullo modo resummi, vel agitari materiam de auxiliis, &c."

" Pag. 31. Quod Alexander VII. fuerit deceptus, ex eo constat quod liber Jansenii numquam Romæ ritè fuerit examinatus, & quod prima Propositio, à qua ceteræ, etiam fatentibus Jesuitis, dependent, quæ sola



„ sola in ipsius Augustino in propriis termi-  
 „ nis est invenibilis, desumpta ex cap. 13. l. 3.  
 „ de gratia Salvatoris secundum principia in-  
 „ dubitata doctrinæ Augustinianæ ab Ecclesia  
 „ consecratæ, ad quam juxtà omnes suas  
 „ particulas ibidem expressè reducitur, sit  
 „ Catholicissima juxta declarationem Emin.  
 „ Card. de S. Clemente, &c.”

„ Pag. 35. Ad hæc Respondeo cum bona  
 „ venia Eximia Pat. V. . . quod ista oratio de  
 „ S. Patricio apertissimè primam Jansenii  
 „ Propositionem in sensu Catholico, sicut &  
 „ ipse illam scripsit, continet.”

„ Pag. 114. Nam sicut pervasfrè fabricatas  
 „ V. Propositiones in sese justè condemnabi-  
 „ les, ad sensum Catholicum facilè reduci-  
 „ biles doctrinam Jansenii Romæ procurarunt  
 „ damnari, ut per latus Jansenii doctrinam  
 „ S. Augustini à doctrina Jansenii reverà infe-  
 „ parabilem arietarent, & dejicerent, sic  
 „ etiam fortasse hoc tempore, multas pro-  
 „ positiones Michaëlis Molinos talibus ter-  
 „ minis concepere, quod vix à positionibus  
 „ fundamentalibus vitæ internæ, & verè spi-  
 „ ritualis à SS. PP. &c. Nobis propositis di-  
 „ stingui possunt, ita ut per condemnationem  
 „ Molinos. . . & prætenfæ ejus doctrinæ vi-  
 „ dentur voluisse eliminare illud parum,  
 „ quod



„quod restat supernaturalis operationis Spi-  
 „ritûs Dei vivificantis expertivè intimum  
 „fundum spiritualium animarum.” Multes  
 hic annos strenuum factionis vestræ Concio-  
 natorem egit, neque primum anno 1689.  
 Jansenizabat. Estne tibi Eximie Domine per  
 quam manifestum, nihil in viro isto Religioso re-  
 prehendi potuisse præter Doctrinam de gratia efficaci,  
 propter quod apud Regiam suam Majestatem sus-  
 pectus redderetur? Nulloſne in suo ordine Du-  
 ces, Socios, sequaces, habuerit aut habeat  
 etiamnum, uti & in Facultate vestra Patronos?  
 Nolim te ad indignationem provocare Mar-  
 tine, alioquin rogarem an non viro illi con-  
 sentias in plerisque jam relatis, saltem Moli-  
 nosini defensione exceptâ? E. G. an non  
 sentias quod Alexander VII. fuerit deceptus?  
 Quod Liber Jansenii numquam Romæ ritè fuerit  
 examinatus, quod prima Propositio à qua ceteræ  
 dependent, quæ sola in ipso Augustino in pro-  
 priis terminis est iuvenibilis, desumpta ex cap. 13.  
 l. 5. de gratia Salvatoris, secundum principia in-  
 dubitata Doctrinæ Augustiniane ab Ecclesia conse-  
 crate, ad quam juxtâ omnes suas particulas ibidem  
 expressè reducitur, sit Catholicissima? Scio quo-  
 que facilem tibi ad has & ceteras quantum-  
 vis, ut patet, momenti gravis interrogatio-  
 nes responsionem in promptu esse, expedi-  
 F tissi-



tissimam difficultatum omnium resolutionem  
 Eximio Magistro post tot annorum studia  
 & vigilias dignam: *Superflua*, inquis, *interro-*  
*gationes sunt, simplicis, nudaque sum veritatis*  
*scato circumdatus.* Si instem, si tergiversatio-  
 nem tuam in profitenda fide Catholicâ post  
 tot provocationes admirer, aliud non refero,  
 quam *admirationes ejusmodi & exclamations*  
*esse pueriles scholarum trivialium.* Et tamen ejus-  
 modi exclamations & admirationes didici ab  
 Illustrissimis Episcopis, ab Eminentissimis Car-  
 dinalibus, à Sede Apostolica præsertim, ab  
 Alexandro VII. Jansenistarum in rejicienda  
 fidei professione pervicaciam detestantibus.

## §. 6.

*Respondetur ad conglobatas Eximii*  
*D. exclamations.*

**N**onne hæ tuæ pueriles potius exclama-  
 tiones, & admirationes sunt? ” Egre-  
 „gium enimverò me Jansenii Discipulum,  
 „utpotè qui doctrinam Jansenii in qua tu  
 „præcipuas erroris ejus partes collocas, do-  
 „ctrinam inquam de *indeliberata gratie dele-*  
 „ctatione, nec tenui umquam, nec teneo.  
 „Qui doctrinam quam se non tenere pro-  
 fite-



„fitetur Janfenius, videlicet doctrinam de  
 „Physica prædeterminatione, profiteor; qui  
 „Authoris illius Libros, circa quos præfens  
 „controversia potiffimum verfatur, num-  
 „quam legi; qui numquam vel verbo, vel  
 „fcripto adverfus Religiofam observantiam,  
 „quæ Constitutionibus Innoc. X. & A-  
 „lex. VII. debetur quidquam commifi, qui  
 „profiteor quod Articulos omnes in mate-  
 „ria de gratia damnatos, eodem planè modo  
 „fensuque damnem, ac reprobem, quo uni-  
 „verfa Schola Thomiftica eos damnat, ac re-  
 „probat?“ adeò tibi liquidæ videntur proba-  
 „tiones iftæ, ut ab exclamationibus, & ad-  
 „mirationibus continere te nequeas. Singulas  
 „expendo breviter, ne quid à me præteri-  
 „tum queraris, ipfe ad difficultates responde-  
 „re non folitus, folâ ferè indignatione, aut  
 „ventosâ sub Pallio Thomiftico exufflatione  
 „contentus. *Præcipuas erroris Janfeniani partes*  
 „non collocavi, neque colloco *in gratia dele-*  
 „*ctatione indeliberata*, ut tibi fruſtrâ fingis, &  
 „mihi impingis ſtolidiffimè; ſed in ſublata  
 „præceptum ſervandi potentia verè proxima,  
 „nihil prætereà deſiderante ex parte actûs pri-  
 „mi: in ſublata omni gratia verè ſufficienti,  
 „quæ effectum non habet, cuius in his cir-  
 „cumſtantis capax eſt, ita ut ad conſenſum



creaturæ obtinendum nullæ prætereà in in-  
 tellectu , aut voluntate vires requirantur , si-  
 ve nihil requiratur tenens se ex parte poten-  
 tiæ , seu actûs primi , ut dictum est de poten-  
 tia proxima. Jansenianum virus in eo colloco,  
 quod mereri dicamur per actus bonos elicitos  
 ex gratia , quæ se tenet ex parte actûs primi  
 & tamen indeclinabiliter , & insuperabiliter nos  
 impellit , consensum extorquens non sine  
 necessitate infallibilitatis , & consequentiæ ve-  
 rè antecedenti : quòd demereri nos statuat  
 iis actibus , à quibus abstinere non possumus  
 hic & nunc sine gratia , quâ sumus destituti :  
 quòd demereamur omittendo actus superna-  
 turales , aliquandò concessâ quidem aliqua , sed  
 quæ non magis sufficiat ad potentiam adæqua-  
 tam , sive ad actum primum verè & simpliciter  
 dictum , quam ala una sufficiat ad volandum ,  
 aut crus utrumque confractum ad currendum :  
 quòd Semipelagianos affirmet veram gratiam  
 internam , & supernaturalem requisivisse ad  
 actus omnes bonos etiam ad initium fidei , in  
 eo verò errorem eorum fuisse fingat quòd  
 gratia illa abjici possit , vel ei pro libitu volunta-  
 tis in sensu saltem diviso dissentiri componen-  
 do simul consensum cum omnibus ad dissenti-  
 endum prærequisitis non cum dissensu actua-  
 li , vel dissentienti actione , vel nudâ applicatio-  
 ne



ne ad dissentiendum, quæ applicatio omnes omninò vires, omnem potentiam ad utrumque contradictoriorum, ad actionem scilicèt, & ad ejus omissionem præsupponit. Deniquè ut plura alia præteream circa Bajanismum à Jansenio suscitatum, errorem Jansenii constituo in eo, quod dicat voluntatem, quâ Deus omnes homines, eos considerans ante peccatum primi parentis, salvare voluit voluntate antecedente, quæ est beneplaciti, & vi cujus Deus præparabat omnibus media ad salutem sufficientissima, post prævisum peccatum Adami, & in eo nostrum, antecedentem voluntatem illam ponat in mera complacentia respectu plurimorum, non tantum infantium omnium discedentium sine baptisino, sed etiam multorum aulorum Judæorum, Paganorum, aliorumque infidelium, adeò ut nulla eis præsidia largiatur, nulla offerat ad salutem comparandam verè sufficientia sensu supra explicato: imò quod nullos velit salvare voluntate beneplaciti, quæ efficax est respectu mediorum sufficientium licèt inefficax respectu finis, nisi quos voluntate absolutâ & efficaci etiam respectu finis ad beatitudinem prædestinat. Ideòque quod Christus, cujus voluntas humana Divinæ conformis fuit, non voluerit pro ullius alterius aternâ



salute Patrem orare, offerre sua merita, sanguinem & vitam profundere. Neque obest quod aliquibus beneficia quædam temporalia, media ad fidem, spem, & charitatem, ipsaque dona habitualia virtutum Theologiarum sit promeritus, nam ea reprobis non obtinuit eâ intentione, ut essent ad perseverantiam finalem sufficientia, vel ut alia media verè sufficientia offerrentur, imò adultis quibusdam nulla non tantum ad salutem, sed ne ad temporalem quidèi iustitiam, ut cum Jansenio docet Arnaldus, Christus Passione suâ, & meritis præparavit.

Hæc sunt, Martine, pauca ex multis doctrinæ Jansenianæ capita, quæ mihi displicent; tantum verò absum à *præcipuis erroris Janseniani partibus collocandis in DELECTATIONE GRATIÆ INDELIBERATA*, ut sententiam hanc censeam valdè probabilem, & ne à Molinistarum quidèi doctrina alienam. Sed hoc necesse tibi fuit fingere, ut saltem apud imperitos Tyrones tibi hac exclamatione applauderes, *Egregium enim verò me Jansenii Discipulum!* utpote qui doctrinam Jansenii in qua Didacus de Oropega præcipuas erroris Janseniani partes collocat, doctrinam, inquam, de *indeliberata gratiæ delectatione nec tenui, nec teno*. Aliud est constituere gratiam efficacem  
in



in delectatione quadam cælesti indeliberata, aliud statuere sensu Janseniano, reliqua circa gratiam efficacem dogmata, quomodò gratia illa infallibilitè effectum fortiatur, an ea infallibilitate, insuperabilitate, indeclinabilitate, quæ antecedentem, an quæ merè consequentem necessitatem importet; si antecedentem, an Physicam & strictè dictam, an tantùm latè dictam, & moralem.

Altera non minùs ridicula declamatio est: *Egregium me Jansenii Discipulum, qui doctrinam, quam se non tenere profitetur Jansenius, videlicet de Physica prædeterminatione, profiteor.* Nesciebam hætenùs ubinam negasses gratiam efficacem consistere in *delectatione gratiæ indeliberata*: aliud in omnibus Thesibus tuis non reperio quo id negasse videri possis, nisi ubi profiteris prædeterminationem Physicam. Quasi verò Jansenius hic te non præivisset lib. 8. de gratia Salvatoris toto capite 3. cujus hic est titulus: *Adjutorium Christi determinat, ac prædeterminat etiam Physicè voluntatem*; Et tamen Jansenius in delectatione gratiæ indeliberata intensiore quam sit delectatio concupiscentiæ, efficaciam adjutorii sui medicinalis constituit. Si fallor, cupio aliter à te edoceri. Sed, inquis, exclamatione tertiâ: *Egregium me Jansenii Discipulum*



lum! qui Autoris illius Libros, circa quos præsens controversia potissimum versatur, numquam legi. Quemadmodum ipse Jansenius priorem exclamationem imitari posset dicendo, Egregium me Jansenistarum parentem, qui gratiam Physicè prædeterminantem profiteor, ita exclamationem posteriorem imitari possent Lutherani & Calvinista innumeri: Egregium me Calvini, alter, Egregium me Lutheri Discipulum qui Calvini, alter, qui Lutheri Libros circa quos præsens controversia potissimum versatur, numquam legi. Ita procul dubio exclamare inter hæreticos possent quicumque litteras ignorant.

Imò, inquis, assero, sincerè, citraque omnem mentis restrictionem ( à qua Schola Lovaniensis abhorret, me exceptâ historiâ Jansenii de heresi Pelagiana ne vel unum Librum eiusdem Autoris circa præsentem controversiam legisse. Non me latet Martine, quod Schola Lovaniensis restrictiones mentales abhorreat saltem speculativè loquendo, multos etiam non uti illis passim in praxi satis credo, an nulli utantur minùs habeo exploratum. Sic quidam nuper Lovaniensis Academicus in Schola PP. Societatis publicè & acriter Magistros suos defendens, perperam, inquit, vocantur Rigoristæ qui in praxi satis liberales sunt. Libera-

lita



litem in praxi eis concedebat facilè R. P.  
Præfcs.

Non parùm autem ridiculum mihi vide-  
tur argumentandi genus, quo ad me pe-  
nitùs prosternendum uteris, cùm ais: *Con-*  
*cidat igitur neceffè est infundata tua hæc suspicio,*  
*doctrinæ à me haustæ ex Libris Jansenii,*  
*ac proinde superestructa eidem circa doctrinam de*  
*gratia efficaci à te superiùs mihi imputatam accu-*  
*satio, SI ASSERAM, PROBEMQUE me hætenus ne*  
*vel ullum Jansenii Librum de gratia Christi Sal-*  
*vatoris legisse, imò nec hodiè me Autorem illum*  
*LEGERE, aut MENTEM HABERE ILLUM BREVI*  
*LEGENDI, nisi vel superioris mandatum, vel re-*  
*rum, temporumve circumstantiæ aliud exigere vi-*  
*sa fuerint.* Hæc ubi primùm legerem, hære-  
bam ad promissum tam insolens. Haud  
difficile est, cogitabam, Augustini Discipu-  
lum asserere, quod in Janseniano volumine  
hanc tantummodò partem legerit, nec mer-  
rem habeat legendi plura, at quomodò asser-  
tionem hanc mihi etiam probaveris? probatio-  
nem avidus dum expecto, nusquam reperio,  
nisi quod mox addas, & ne hic subterfugia à  
me quæri denuò iactites, assero sincerè citraque om-  
nem mentis restrictionem, à qua Schola Lovanien-  
sis abhorret, &c. Sic assertio probatur effica-  
cissimè, ita ut omnis opposita suspicio con-  
ci-



cidat necessariò : tantùm debet Augustini Discipulus assertionem suam repetere , addendo se *asserere sincerè citraque omnem mentis restrictionem*. A restrictione non tantùm mentali , sed etiam reali adeò abhorret Gummarus tuus , ut Confessarium interrogatum de peccatis auditis in Confessione , non patiatur respondere , *Nihil scio*. Præstat scilicèt secretum Confessionis exponi suspicionis periculo. Quidni & rotundè mentiri malint Novi Augustini Discipuli , quam Amphibologiis uti , aut ullâ ratione restringere. Certè in Galiliis de homine confuto ex mendaciis circumferri vulgò solet hæc comparatio *il mente comme un Ianseniste*. Hoc neutri vestrum velim applicari DD. Eximie atque Eruditissime, Difficultatis tamen aliquid oboritur Martine , quomodo *profitearis de Physica prædeterminatione quam* . inquis , *Jansenius se non tenere profiteretur*. Ubinam Jansenius profitetur se non tenere doctrinam de prædeterminatione Physica in statu naturæ lapsæ , sicut à Thomistis communiter defenditur ? Ubinam discrimina suam inter, Medicinalem, & hujusmodi Physicè prædeterminantem deduxit ? an in Libris de hæresi Pelagianâ ? an verò in Libris de gratia Salvatoris ? præcipuè , & ex instituto id præstat l. 8. de gratia Salv. toto capite 2.

Sed



Sed Libros de gratia non legisti, nec unum  
 ex illis, ita asseris, si fas est credere, sincere.  
 Tunc aliis discrimina hæc ex Jansenio referentibus  
 cœcè credidisti non inspectis, non diligenter excussis  
 Jansenii verbis in ipso volumine? cur igitur hanc  
 reverentiam non defers Romanorum Pontificum  
 definitionibus, quibus testantur se Propositiones quinque  
 Jansenii damnare, & in ejus sensu? Cur non pariter  
 credis eas in Augustino Jansenii contineri sensu  
 condemnato? Intolerabilis impudentia est, & erga  
 summos Ecclesiæ Principes irreverentia insolens  
 malle credere quibusdam privatis Theologis, & suspectis,  
 negantibus Propositiones in Jansenio haberi, quam  
 celeberrimis Academicis Parisensi, Duacena, Pictaviensi,  
 tot Galliaë Episcopis, Eminentissimis Cardinalibus,  
 & supremis Inquisitoribus, Romano Pontifici, &  
 universaë Christaë Ecclesiæ asserentibus. Ut quis de  
 Propositionibus, earumque apud Jansenium existentia  
 prudenter judicet, necesse est credat communi,  
 & supremaë in Ecclesia auctoritati. Si his omnibus  
 magis sapere præsumat, saltem Jansenium ipsum  
 adeat, qui potest licitè, aut in hunc finem veniam  
 sibi procuret: at posse Jansenium legere, & lectionem  
 illius negligere, neque velle credere  
 ul-



ulli auctoritati affirmanti Propositiones damnatas in libro contineri, & damnato sensu contineri, summæ sive arrogantiae est, sive insaniae.

Quarta Exclamatio: *Egregium me Jansenii discipulum! qui nunquam vel verbo, vel scripto adversus Religiosam observantiam qua constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. debetur, quidquam commisi. Nihil commisisti turpissimâ tergiversatione tuâ, & ineptissimâ ejus ratione jam centies tibi objectâ, neque hæcenus à te retractatâ?*

Quinta Exclamatio præ ceteris admiratione digna est: *Egregium, inquis, me Jansenii discipulum! qui profiteor, quod articulos omnes in materia de gratia damnatos, eodem planè modo sensuque damnem, ac reprobem, quo universa schola Thomistica eos damnat, ac reprobat. Quis ad removendam procul omnem Jansenismi suspicionem quidquam prætereà desideret? Aut hæc profectò Jansenismi abdicatio est, aut nulla est. Scholam enim Thomisticam verè Catholicam esse omnes agnoscunt: eam Jansenio jam pridem bellum indixisse libri PP. Alexandri Sebille, Gonetii, Nicolai, Baroni, aliorumque loquuntur. Domine Martine sinceritatem tuam obtestor, an etiã hæc à te dicta sunt seriò, sincerè & citrà omnem mentis*



tis restrictionem? Si ais pronum est quemli-  
 bet subsumere, atqui universa schola Tho-  
 mistica quinque articulos famosos versantos  
 circa materiam de gratia damnat tamquam  
 Hæreticos eo sensu, quo reperiuntur in Au-  
 gustino Jansenii, ex quo excerpti sunt: ergo &  
 Eximius D. de Swaen damnat quinque famo-  
 sos articulos tamquam Hæreticos eo sensu,  
 quo traduntur in Augustino Jansenii. Procul  
 dubio conclusio legitima est, si prima pro-  
 positio, quæ tua est, sincerè prolata sit, &  
 citrà omnem mentis restrictionem. Verùm  
 qui Neo-Augustinianorum in rejiciendis  
 Pontificum constitutionibus, explodendis  
 Episcoporum decretis, firmitatem dicam, an  
 pertinaciam, nullis precibus, nullis expo-  
 sitionibus commovendam, nullis infrin-  
 gendam suppliciis, perspectam habent, aiunt  
 restrictionem hinc realem subintelligendam:  
 personam loquentis Eximii determinare, seu  
 restringere propositionis sensum alioquin Ca-  
 tholicè illuminatum. Sic illi professionem fi-  
 dei tuæ interpretantur: *Quandoquidem Thomi-  
 sta sensum, quem Propositiones famose patiuntur,  
 Calvinianum, absurdissimum, & à Jansenii mente  
 remotum, nihilominus tribuant Jansenio propter  
 constitutionem Alexandri VII. eundem ego sensum  
 cum Thomistis execror, licet eum Jansenii fuisse,*  
 G aut



aut ejus libro tradi negem, & pernegem, certè nunquam adducar, ut Iansenii eum esse concedam, satis cum Gummaro meo, reveritus auctoritatem Pontificiam, si de hac Pontificis hallucinatione altum sileam saltem in scriptis, aut concionibus publicis. Mentem tuam, Eximie Magister, hùc exquiro: difficultas certè est non contemnenda, nec superflua interrogatio.

## §. 7.

*Ostenditur, quod difficultates à me propositæ, conducant non ad fovenda, sed tollenda dissidia.*

Sententiarum tuarum explicationem nimis inadæquatam atque ad amoliendam à te Jansenismi suspensionem prorsus inutilem sic concludis: "Hæc si ità se habeant, ut  
 „reverà se habent, quorsum, amabo, dif-  
 „ficultates tuæ omnes, quas propositas mi-  
 „hi voluisti? quorsum exprobrationes, irri-  
 „siones, & impropria, quæ adversum me,  
 „meique similes effudisti ( de intentione tua  
 „nolim judicare ) nisi ut schismata in Ec-  
 „clesiæ gremio, vel suscitentur, vel fovean-  
 „tur? nisi ut subditi contra superiores ob-  
 „murmurando insurgant? nisi ut sententia  
 „de



„de gratia per se efficaci, quam præcipuæ A-  
 „cademiæ, Religiosæque familiæ tamquam  
 „claram & inconcussam SS. Augustini, &  
 „Thomæ doctrinam, alii manifestam S. Au-  
 „gustini, aut evidentè Augustinianam ap-  
 „pellant sententiam, penitus offuscetur, &  
 „tamquam proscripta traducatur? nisi ut Ec-  
 „clesiastica disciplina, quæ per assertores gra-  
 „tiæ per se efficaciæ defenditur, Deo ser-  
 „mones eorum confirmante, non parùm  
 „enervetur, dum fideles obaudiunt Pasto-  
 „res suos tamquam suspectæ fidei (idque à  
 „com-Presbyteris debuccinari? nisi ut pa-  
 „rentes ad Academiam Lovaniensem prædi-  
 „ctæ gratiæ per se efficaciæ hætenus propu-  
 „gnatricem imperterritam filios suos trans-  
 „mittere ultrà non audeant? demique (quod  
 „me ingenti dolore afficit) nisi ut hæc viâ,  
 „pax unitasque Sacerdotalis, quæ inter Cle-  
 „rum, & Patres Societatis vigere in Mis-  
 „sione nostra Batavo-Catholica debe-  
 „ret, penitus turbetur, auferaturque?  
 „præsertim dum præcedentibus superadditur  
 „duplex illa calumnia de qua infra? Multa  
 „profectò hic recensentur, quibus si difficul-  
 „tates meæ nuperæ causam præbeant vel oc-  
 „casionem, meritò propter eas tota quodam-  
 „modò Hierosolyma commota est, meritò



à te impugnantur, & ut penitus debellantur ipse exopto, doleo autem maximè tam frivola te contra eas adduxisse, tam turpiter declinasse responsum ad præcipua, in quibus totus rei cardo vertitur, in quibus Jansenismi suspicio fundatur, à quibus pendet præcipuum Scholæ Thomisticæ, & Jansenianæ discrimen.

Hæc si ita se habeant, ut reverà se habent, eò spectant difficultates nuper à me propositæ, provocationes, exprobrationes, & si quid aliud in difficultatibus vobis accidit molestius, ut schismata in Ecclesiæ gremio deinceps nullà suscitentur, antiqua aboleantur. Quid enim Ecclesias Belgicas, quid Gallicas tanto tempore conturbavit, nonne Jansenismus? nonne inveterata multorum pervicacia in Jansenii sensu mordicè retinendo? in neganda Reverentia, & observantia debita Pontificum sanctionibus? contemptus Formule Alexandrinæ, tam salubris, tam necessariæ ad discernendos Theologos probè Catholicos à *filiis iniquitatis*? Constitutioni istius Apostolicæ subscribatur, vel si juramento quod illic exprimitur obstringere se non audeant scrupulosi nostri, saltem in Thesis & Libellis fateantur propositiones quinque esse hæreticas in sensu Augustini Iprensis, & alicujus mo-

men-



menti discrimine ab iis sic intellectis doctrinam suam removeant, difficilis esse desinam, difficultates omnes oblivioni tradi lubens patiar, quin & licet nihil tale meritas, cum Theſibus Jesuitarum quibus olim nascentem Pseudo-Augustinum in ipsis incunabulis oppresserunt, quâcumque autoritate pacis studio prohiberi. Nihil ex personarum odio scripsi, nihil ex æmulatione, aut altercandi pruritu, sed amore veritatis. Pontificis autoritatis defendendæ zelo, charitate erga omnes etiam adversarios, quos vehementer doleo tam obstinatos esse hætenus in recusanda subscriptione formulæ Apostolicæ, tam honestæ, tam salubris, ad procurandam Ecclesiæ tranquillitatem, ad avertendam ab omnibus Jansenismi maculam, ad fidem suam omnibus probandam necessariæ. Quam grata est Augustini Discipulis memoria illius temporis, cum sub Clemente IX pax Ecclesiæ reddita est, novis illis Theologis S. Sedi, & Regi Christianissimo reconciliatis, quando Henricus Arnaldus Andegavensis, Nicolaus Chovart Bellovacensis, Franciscus Stephanus Apamiensis, & Nicolaus Pavillon Aletensis Episcopi in gratiam recepti sunt, verum, ut testatur ipse Pontifex in Brevi ad illos Episcopos misso die 19 Jannarii an. 1669.



non prius quam cum ingenti obsequio, Apostolicae Cathedrae, debita detestatione significassent, se juxta praescriptum litterarum Apostolicarum, quae à felicitis record. Innocentio X. & Alexandro VII emanaverant, sincerè subscripsisse, & subscribi fecisse Formulario in ejusdem Alex. VII litteris edito. Nullam Pontifex formularis mutationem, nullam in juramento restrictionem, aut exceptionem patitur, nullam relaxationem sed praedecessorum suorum Innocentii X & Alex. VII Constitutionibus firmissimè se inherere profiteretur, ut obstruatur os Jansenistarum, mutationem juramenti tunc à Pontifice admissam fuisse, mendacissimè jactantium. Non minus falsum est, quod Rex Christianissimus venterit edicto an. 1669 23 Octob. ne quis alterum Jansenista nomine, aut simili notaret convicio, verùm disertè mandatum suum restringit ad illos, qui Formulari Alexandrino subscripserint, de his intelligendum etiam fuit Mandatum Camusii Gratianopolitani Episcopi, quem mihi in Epistola ad Illustrissimum Sebastenum objecerat, ut in difficultatibus propositis observavi

Quinam illi subditi sunt qui ex Difficultatibus meis occasionem accipiunt ut contra superiores obmurmurando insurgant? Non Patres Dominicani, non Fratres Minores, non Au-

sti



gustiniiani, non Eliani praesertim Calceati, non Jesuitæ, non quicumque alii constitutionibus omnibus Apostolicis, quâ par est observantiâ, se subjiunt. Hactenus non conqueritur, neque ut opinor, conqueretur Amplissimus Dominus Martinus Steyart Vicarius Apostolicus Sylvæ-Ducens, non conqueruntur Eximii DD. Marselis, Daemen, Amplissimus du Bois subditos in se obmurmurando insurgere, neque ullum hinc ex difficultatibus meis verentur periculum. Quinam igitur subditi, & in quos Superiores obmurmurando insurgent? An Seminarii tui Alticollensis Alumni in te praesidem suum, Directorem, ac Magistrum? Quâ de causâ? An quia gratiam per se efficacem doces? Hanc difficultates non reprehendunt, sed agnoscunt defendi posse Catholicè à Thomistis, ab Eximio Domino Steyart &c. An propter gratiam Thomisticè sufficientem, & ejusmodi sententias Thomistis familiares? Non adversus illas mota à me difficultas est, & ne indirectè quidem, celebrata adeò in scholis dogmata, ullo totius opusculi verbo perstrinxi. Quanam ergo tandem de causa subditi in te, Eximie Domine, tuique similes Collegiorum praesides, & morum, doctrinaeque Praeceptores obmurmurando in-

sur-



furgent? Aliam non video per *Difficultates* suggeri, quam Theologo Catholico parum dignam tergiversationem in rejiciendo sensu Jansenii, & proferendo solido aliquo discrimine tuas inter sententias, & Jansenii. Neque aliam ex *difficultatibus* haurire possunt murmurandi ansam ceterorum Collegiorum adversus similes Præsides Alumni. Quamquam non adeò immorigeros illos existimo, ut adversus Præsides suos, & Doctores *obmurmurando insurgant* charitate ubique prædominante instructi, tot meditationibus exerciti, passionibus animi superiores, reverentes Moderatorum, à quibus plerumquè omnis eorum fors pendet, omnis promotio, sustentatio præsens, & totius vitæ terrena beatitudo. Omne quod ab eis occasione difficultatum propositarum expectarem, imò ne tantum quidem expecto, esset humilis & supplex obsecratio, quâ cum omni reverentia Eximium suum Præsidem pro ejus, & suo honore, ac fama, pro majori etiam conscientiae securitate rogent, Janseniano sensui tandem aliquando cum Apostolica Sede anathema dicere non graveris, & principia tradere non periculosa, non suspecta, non Janseniana. Quod quâ ratione à suis Præsilibus simul ac Magistris congruè, & honestè petere possint,



lubens eos in exemplo, verba præscribens  
edocebo.

§. 8.

*Libellus supplex Theologorum Colle-  
gii Alti-collensis ad Eximium Do-  
minum MARTINUM HENRICUM  
DE SWAEN in Alma Universita-  
te Lovaniensi S. T. Doctorem, &  
Memorati Collegii Præsidentem.*

**Q**uam, Eximie Domine, tanto  
jam tempore communis nostrum  
omnium, tua præsertim fama, tot adver-  
sariorum Libellis, Epistolis, Thesibus fœ-  
dè lacerata patiatur, non est quod apud  
te commemoremus, qui accusationis hu-  
jus immanitatem toties nobis lugens retu-  
listi, toties scriptis publicis execratus es.  
Multa hæcenus prudentissimo consilio ten-  
tasti, multa molitus es ad eruendam omnium  
animistam atram de te, tuisque opinionem:  
coram orbe universo profiteris, te amplecti  
communem Thomistarum doctrinam in ma-  
teria de gratia pro statu naturæ lapsæ: A-  
nathema dicis propositionibus prorsus omni-  
bus



bus, quas proscribit Ecclesia. Rejicis sensum omnem, quem Ecclesia reprobat: damnati sensus Interpretem sequi non detrectas Scholam Thomisticam; verum non his contenti homines inportuni, & semper sinistri aliquid in Professione nostra suspicantes, urgere pergunt, neque unquam desinent Alexandrinæ Formulæ subscriptionem. Hoc autem utuntur dilemmate: vel *sincerè & citra omnem mentis restrictionem, à qua Schola Lovaniensis abhorret*, damnatis propositiones quinque omni sensu quo *Schola Thomistica*, vel non. Si affirmetis, cur recusatis dicere anathema sensui Augustini Janseniani, cum eum tam promptè, tam apertè Schola Thomistica detestetur? Si verò nogetis, cur illud tam magnificè affirmat Eximius vester in Epistola ad Didacum de Oropega? ubi candor Cygneus? Ubi sinceritas Augustiniana? ubi, quod de Lovaniensi Schola jactatis, restrictionis odium? quid autem est, inquit, quod à tam innocua, tam religiosa professione vos absterreat?

An erga Iprensensem præfulem reverentia? Sua ipse scripta Sedis Apostolicæ judicio moriens subjecit. An periculum, quod Eximius vester prædicat non infundatum, ne, ubi Jansenii sensum proscripsisset, censeretur non suam

tan-



tantum, sed & Majorum suorum doctrinam imprudens condemnasse? Parum honorifica hæc, inquit, doctrinæ vestræ, Majorumque, quos prædicatis, commendatio est. Quis enim honestè satis, quis tutò tradi existimet hæc dogmata, quæ defendi non possunt, si Ecclesiæ definitionibus, si receptis fidei Symbolis subscribatur? An gratia per se efficax, prostrato Jansenii sensu, stare non potest? inanis timor est à Thomistis omnibus, ab Augustinianis, & ceteris gratiæ illius defensoribus, paucos excipe Gallos exules, & Lovaniensibus aliquos, passim explosus. Unde fallaciam hinc suspiciantur, & animum in nobis non satis Catholicum. Quasumque locutiones adhibuerimus ex Thomistarum vocibus contextas, si sensum patiuntur ambiguum, deteriore semper accipiuntur, qui cum famosis quinque Propositionibus conveniat, à Thomistarum dogmatibus alienus. Hinc gratia nostra, quam vocamus Augustino-Thomisticam, Pseudo-Augustiniana proclamatur, & Pseudo-Thomistica. Quoties nos Augustini discipulos dicimus, Augustini nomine Iprensensem intelligunt. Inde fit, Eximie Domine, quod non nisi gemebundi & lacrymis perfusi commemoramus, ut *Doctrina, quam Epistola ad Didacum de Oropega tutam,*  
*quam*



quam claram, & inconcussam SS. Augustini & Thomae prædicas, alii manifestam S. Augustini, aut evidentem Augustinianorum appell'ant, penitus offuscetur, & veluti longissimo intervallo à SS. illorum placitis discreta, imo proscripta traducatur. Hinc fit, ut Ecclesiastica disciplina, qua contra hujus temporis abusus, ac dissolutionem per Assertores gratiæ per se efficaciæ, ut ibidem ais, defenditur, non parùm enervetur, dum fideles obaudiunt Pastores suos tanquam suspectæ fidei, idque à Com-Presbyteris debuccinari. Hinc fieri natum est, ut Parentes ad Academiam Lovaniensem, prædictæ gratiæ per se efficaciæ hæcenus Propugnatricem imperterritam, filios suos transmittere ultra non audeant, deniquè, quod Eximiam D. V. nosque ingenti dolore afficit, hinc fit, ut pax unitasque Sacerdotalis, quæ Clerum inter & Patres Societatis, aliosque Religiosos vigere in Missionem nostram Batavo-Catholica deberet, penitus turbetur, auferaturque.

Hæc sunt Eximie Domine, quæ ut plura alia prætereamus, nos movent ut subscribendum putemus constitutioni Alexandri VII. Pontificis, renuntiandum Janseniano sensui, atque ità deinceps doctrinam nostram de gratiæ, & libero arbitrio temperandam, ut nemo non videat, nos Thomistis in statu naturæ lapsæ circà materias hæc controversas  
ubi-



ubique consentire, adeoque non immineat periculum Mag's fundatum, ne hinc inferat aliquando Reverendus Pater Isaacus de Bruyn, aut Didacus de Oropega, aut quicumque alius adversariorum, nos doctrinam nostram Majorumque nostrorum imprudenter damnasse, quam inferatur adversus Thomistas, adversus Religiosissimos S. Augustini filios, adversus Amplissimum D. Martinum Steyart Sylvæ-Ducensis Diocesis Vicarium Apostolicum, aliosque gratiæ per se efficaciæ propugnatores acerrimos, eos Jansenii sensum execrando suam pariter, suorumque Majorum sententias detestari. Audiunt viri illi apud omnes Catholici, imò & Catholicæ fidei adversus hæreticam famosarum quinque Propositionum doctrinam Defensores. Si quis eos Molinista, Scotista, aut Bonæspeianus constitutionibus Pontificiis oppugnaverit, in promptu habent, quod respondeant, distinctiones adhibent orthodoxas, non uno se discrimine divellunt à Jansenio, & ubi fortè voces easdem nobiscum proferunt, tanquam sano & Catholico sensu accipiuntur etiam ab illis, qui à nobis prolatas sinistrè solent interpretari. Liceat nobis per te, Eximie Domine, eadem frui pace, eadem famæ integritate, qua fruuntur Thomistæ, Augustiniani Patres, Amplissi-



plissimus Steyartius , & quotquot cum eis sensui Janseniano dixere anathema. Hos imitari non pudeat , ut & nos tandem adversarii lacerare , & de Jansenio suspectos reddere desinant , aliàs numquam comprimendi. Ignoscet nobis , ut confidimus , benignissima vestra humanitas , vota nostra tam innoxia , & humillimas preces hoc Libello supplice exponentibus , qui ut fuimus hactenùs summa animi demissione , & observantiâ etiam deinceps perpetuò futuros nos profiteamur , & sumus

*Eximie Magister & Colendissime præsēs*

*Exim. D. V.*

*Obsequentissimi famuli , ac Discipuli  
devotissimi Collegii Alti-Collensis  
Alumni.*

Vides Martine , quantum absim à concitandis subditis , ut contra Superiores suos obmurmurando insurgant , qui tam humilem eis & verè supplicem Libellum concinnavi , ut vel ex hoc discant , quantâ sibi cum Superioribus reverentiâ agendum , quomodò sicubi Superiores officio suo , & quidè in rebus gravissimis defuerint , modestè commonendi sint , ut  
ma-



malum in posterum caveatur, non ut delinquentibus superbe insultetur, aut eorum conculetur autoritas.

## §. 9.

*De familiari Colloquio & amica visitatione quam frustra expetit Eximius Dominus.*

**P**otuissem, te Judice, multis scriptio-  
 laboribus, & sumptibus parcere, si modo unius  
 horulae spatium familiari colloquio, amicaeque  
 cuipiam visitationi (nam longo nos locorum inter-  
 vallo ab invicem sejungi non arbitraris) indulgere  
 placuisset. Ego verò contrà existimo, quòd  
 unius horulae colloquium tam uberem mihi  
 scriptio-  
 nis materiem largiretur, ut Libellus  
 unus aut alter difficultates omnes complecti  
 non posset, sed commilitonis tui Steyartium  
 impugnantis exemplo in octo, vel fortè plu-  
 res partes essent dividendae. Quantum rixa-  
 rum, & scriptio-  
 num peperit familiare illud col-  
 loquium, & amica visitatio inter Lovanienses  
 quosdam Academicos, & Religiosos Anti-  
 Jansenianos coram Illustrissimo Alphonso Me-  
 chliniensium Antistite, uti & aliud Ferre-  
 rium inter, & Lalanium coram Episcopo



Convenenti, norunt omnes in controver-  
 siis Jansenianis Historico-Theologicis non  
 planè peregrini. Audivi quandòque à viris  
 gravissimis, nihil ejusmodi Conventibus ple-  
 rumque esse perniciosus. Quid enim ex iis  
 aliud expectes, quàm utriusque partis Theo-  
 logos, ubi domum redierint, singula acta  
 & responsa narraturos, quemlibet prout rei  
 suæ expedire judicaverit. Hinc veterum fo-  
 mes contentionum, & novarum Seminarium,  
 singulis testimonia mutua elidentibus. Ast  
 ubi stylo res geritur, scriptis publicis, ad  
 rem ipsam facilius devenitur, & propositis  
 utrimque rationibus, litis Decisio Eminentissi-  
 morum Cardinalium, atque in primis Se-  
 dis Apostolicæ judicio relinquitur. Quam-  
 diu Constitutionibus Pontificiis subscribere  
 renuis, quamdiu cum Orthodoxis omnium  
 Ordinum Theologis renuntiare Janseniano  
 sensui eique cum Alex. VII. dicere anathe-  
 ma, frustra postulas *familiaire Colloquium*, &  
*Amicam visitationem*. Iterum dico Martine, &  
 ab inculcando, opportunè, importunè, tibi,  
 tuisque infarciendo nunquam desistam, ana-  
 thema dicendum est omnibus propositioni-  
 bus, quibus anathema inflixere Pontifices:  
 neque tantùm propositionibus quoad sonum  
 verborum, vel sensum, quem sibi quilibet  
 fa-



facile finxerit, sed quoad sensum quem Pontificis definitionibus suis designant, adeoque expressè & clarè dicendum est anathema Propositionibus quinque famosis eo sensu, quem attentis antecedentibus, & consequentibus habent in Libro, cui titulus *Augustinus Cornelii Jansenii &c.* hic enim sensus est, quem Alexander VII. constitutione suâ terminis formalibus exprimit, & disertè configit. Hoc ubi præstiteris, & alicujus momenti discrimen tua inter, & damnata Jansenii dogmata exhibueris, tum te Catholicum agnoscam, & scriptis publicè profitebor, tum elidam ipse satis efficaciter, quidquid à me scriptum hæcenus, quo te in Jansenismi suspensionem vocaverim: tum familiare tecum colloquium ultrò expetam: tum amicis visitationibus, & mutuis, nihil mihi accidere poterit jucundiùs: tum fortè non majori sententiarum, quam *locorum intervallo ab invicem sejungemur*, qui nunc tantum ferè ab invicem distamus, quantum Ipræ distant Hippone, aut Roma Amstelodamo. Et quoniam scribis quod eadem (si non majori) humanitate in visceribus JESU CHRISTI amplexus me fuisses quam, quâ nuper R. P. Iacobum de la Fontaine stipatum R. P. Isacco de Bruyn propè Collegium PP. Societatis salutasti, ubi te Romani Pontificis constitutioni modò



superius memorato consentire probaveris, primus in amplexus tuos ruam: cumque meam libenter passim tuum *Patrem* appelles, simili ferè affectu tibi accurram obvius, quo amantissimus Pater filio redeunti ex regione longinqua Lucæ 15. vel si malueris, charitate te verè fraterna complectar, adhibens illud Canticorum cap. 8. *quis mihi det te Fratrem meum sugentem ubera Matris mee!* Ubi autem memini tantæ humanitatis tuæ, quâ nuper R. P. *Jacobum de la Fontaine* stipatum R. P. *Isaaco de Bruyn* propè Collegium P. P. *Societatis salutasti?* Non in limine difficultatum, ut falsò asseris, neque usquàm alibi. Dixi quidè in PRÆFATIONE DIFFICULTATUM: *addebant familiares, vultum suavissimi D. Henrici, qui nescio quas nuper rugas contraxerat, ad pristinam rediisse amœnitatem: salutatum etiam à Societatis Patribus, salutem reddere rursùs perhumanitèr, imò & primum impertiri.* Verùm nihil illic exprimitur de illo occurfu, de quo tu in Epistola; neque reverà scio an singulari aut etiam ordinariâ humanitate Patres illos tum salvaveris, imò intelligo vultum tibi tum temporis fuisse subtristem, & Patres illos vix levitèr intuitum, fortè quia recens veneras à consultatione adversus me in Collegio Pontificio instituta. Aliis verò ejusdem Societatis Pa-



Patribus alijs in occuribus visus es benignior. Scio miratum fuisse P. Jacobum de la Fontaine hanc in te morositatem insolitam : & penè eam imputasset P. Isaaco de Bruyn, quod te aliquandò in Thesisibus excepisset minus mollitè, ubi Pater Jacobus nunquam tui in Thesisibus meminisset.

Quid autem mihi in Colloquio illo familiari, & amica visitatione proposuisses? Aliudne quam quod in gemina Epistola tua & tot Thesisibus expressisti? *Ingenue*, inquis, *fassus fuisset eadem illa omnia à me vel teneri, vel non teneri, quæ superius professus sum à me teneri, vel non teneri. Ex quo manifestè sequitur difficultatibus tuis conscribendis merito supersedere te potuisse, saltem ad eam partem quod attinet, in qua doctrinam meam sanam, verèque Catholicam erroris hæresosque infundatè insimulatam voluisti.* Penes lectorem Martine sit arbitrium, an hujusmodi Colloquium non fuisset ad pacem inter nos componendam prorsùs inutile; non enim ad eò hebes sum, non tam parùm in fraudibus hæreticorum, Jansenistarum (quam quid hos ab hæreticis distinguo?) Et Novatorum versatus, ut hujusmodi locutionibus ambiguis facilè mihi patiar imponi, saltem ab eo qui hæretico sensui toties provocatus abnuit renuntiare. *Doctrinam tuam*  
præ-



prædicas sanam, Catholicam, erroris, heresiosque  
 infundatè à me insinulatam. Quid miri nullus  
 hæresiarcha doctrinam suam non proclamat  
 sanam, Catholicam, Augustinianam, &c.

Quin & ejusdem, inquis, omninò mentis fuisset,  
 quam in Epistola Illustrissimo Sebasteno inscripta  
 exposui, videlicet paratum me exhibere ad quod-  
 cumque legitimum tribunal præeuntem te sequi.  
 Eòne tandem recidisset familiare illud collo-  
 quium, & amica tua visitatio? Ad tribunal quod-  
 cumque legitimum me sequi velles, & qui-  
 dem eò me fortè, ut ais, invitum protra-  
 het Eruditissimus Dominus Melis. Miserum  
 me, & perditissimum! si solus & quidem  
 medius inter duos Augustini Discipulos, alium  
 Eximium, alium Eruditissimum virum præ-  
 fervidum, & Rectoris nuper in Alma Uni-  
 versitate supremi munere perfunctum cogar ac-  
 cusandus comparere! quis pro me patronus ad-  
 versus viros tantos perorabit? Auderemne me  
 committere P. Jacobo de la Fontaine? causa  
 videtur dubitandi, quòd licet semèl nimis  
 turbulentis contra Didacum implicitus & quo-  
 dammodò abreptus cogitationibus, Patri il-  
 li solita tua & sanè comi humanitate non  
 arriferis, nihilominùs volens probare affe-  
 ctum singularem, quo me, ut ais, in visce-  
 ribus JESU-CHRISTI complexus fuisses, eum  
 æqui-



æquipares affectui, qua es erga illum Patrem.  
 An non signum aliquod est, quod inter Mo-  
 linistam hunc, & famosos Augustini Discipu-  
 los non malè conveniat? nolim tamen vi-  
 rum illum de tam turpi collusione seu præ-  
 varicatione reddere suspectum, cum tamen  
 propter pectoris, aliasque infirmitates corpo-  
 ris non leves præmaturè à docendi munere  
 amotus sit, & ex medicorum judicio quies-  
 cere jussus, causæ meæ non sufficeret. Im-  
 plorandum mihi est Patrocinium R. P. Isaaci  
 de Bruyn: hic tecum præliari, hic te cam-  
 po pellere solitus, id libentè suscipiet, &  
 ut sperare licet, non infelicitè exequetur.

§. 10.

*De minis Erud. D. Petri Melis.*

**M**Ultum vos etiamnum commovet, quod  
 in prima ad vos Epistola scripseram  
 die 20. Augusti præteriti, de minis Domini  
 Melis, prout illud coràm pluribus testibus  
 omni exceptione majoribus acceperam ab  
 Amplissimo D. Decano, postridie vestri cum  
 illo congressus. Negatis strenuè & quidè  
 juramento confirmare parati illud, aut quid-  
 quam simile à D. Melis fuisse prolatum. Ad  
 quod



quod respondi in difficultatibus pag. 51. *An vobis potius in propria causa, quam Amplissimo Domino credendum sit, nihil ad me; cuius sinceram, & ab omni calumnie vitio remotam in referendo fidem satis vindicavit ipsum Amplissimi Domini testimonium, eamque, si opus foret, efficacius probare possem, quam vos vestram negationem.* Hoc ipsum modò repeto, neque tu Martine ignoras, qui & Epistolam meam Apologeticam ad Illustrissimum Sebastenum attentè satis evolvesti, & nihil non explorasti, ut alicubi mihi calumnie maculam affricares: illud etiam quod à me dictum adeò tibi displicet, rursus sustineo, nullam me non tantùm calumnie, sed ne temeritatis quidè m umbram incurrisse. Nosti Eximie Magister, quid ad calumniam nequiratur, nosti non sufficere, quod aliquis falsum crimen referat, si fortè referat ex levitate animi, quia nimis facilè alterius narrationi fidem habuit. Audi Doctorem Angelicum 2. 2. q. 68. art. 3. ad primum, dicendum, inquit, quod homo non debet ad accusationem procedere nisi de re omninò sibi certa, in qua ignorantia facti locum non habeat. Nec tamen qui falsum crimen alicui imponit, calumniatur, sed solum qui ex malitia in falsam accusationem prorumpit. Contingit enim quandò que ex Animi levitate ad accusationem procedere. Quia scilicet aliquis

ni-



nimis faciliter credit quod audivit: & hoc temeritatis est. Aliquando autem ex justo errore movetur aliquis ad accusandum, quæ omnia secundum prudentiam iudicis debent discerni, ut non prorumpat, non iudicet eum calumniatum fuisse, qui ex levitate Animi, vel ex justo errore in falsam accusationem prorupit. Auctoritatem tanti Doctoris recusare non potes, cuius hoc NEBULOSO TEMPORE videri vis cum tuis tam sedulo frequentare. Quamvis igitur factum non subsistere vobis concederem, evidens est vel ex scripto Amplissimi Domini Decani ad vos testimonio, atque ex iis quæ in *Epistola Apologetica* declaravi, neque ab ullo negari possunt, & si quis in dubium revocare deinceps vellet, nullum est in mundo tribunal, in quo cum non manifestè convincerem, evidens, inquam, ex dictis est, nullam hinc mihi calumniæ specimen affingi posse, nisi per insignem & patentem calumniam. De levitatis igitur, sive temeritatis nota à me amolienda tantum videtur hinc mihi laborandum. Neque hanc quisquam mihi nisi malevolus vel rei gestæ non satis conscius impegit. Adire tantum dignetur Lector *Epistolam Apologeticam* ne eadem toties re-  
 quendo, mihi, aliisque sim fastidio: nullum fanè ex viris gravissimis, qui eandem mecum  
 Am-



Amplissimi Domini narrationem exceperunt, arbiuror fuisse, aderant autem complures, qui de rei gestæ veritate ambigendum putaverit. De variorum certo assensu mihi constat: nequè tantum temporis inter congressum vestrum, & narrationem intercesserat, ut oblivioni esset spatium cum intereà non nisi noctem unam eamque præ turbatione penè insomnem Amplissimus duxisset. Temerarium est, inquis, credere testi uni, & quidè nutanti, ubi duo alii oppositum affirmant, & tamquàm certum Sacramento testari non refugiunt. Distingue tempora, Martine, & objectionis tuæ vanitatem perspicies. Quin tu potius fidem meam non parum confirmasti. Testatur Notarius se ab Amplissimo Domino du Bois missum cum duobus Testibus Urbano l'Annoy, & Joanne Wolfs, ut ex te quæreret. 1. Ubinam Didacus de Oropega in sua Confutatione assereret plerosque Sæculares Missionarios esse Jansenistas, 2. An etiannùm probares minas, quas in Didacum, & ceteros ejusdem instituti socios fuerant jactatæ. Id se præstiturum antea mihi sponte sua Amplissimus indicaverat, licet paulò aliter, videlicet propositurum se directè tantum primum, mentionem autem faciurum minarum ut dispiceret.



ceret, quid post elapsum intereà biduum vo-  
 bis de minis istis videretur, an in responso  
 quod scriptum expectaverat eas dissimu-  
 lando improbaretis, an testimonio publico  
 velletis confirmatas. Ecce autem aliud à  
 Martino non respondetur quam ego non feci  
 verbum: quare non adis Dominum Melis? con-  
 feram cum eo: & intra dies paucos respondebitur,  
 Dies expectavi complures, nihil responsi  
 comparuit. Eratne opus tanto tempore, ut  
 in re ejusmodi conveniens conciperetur res-  
 ponsio, à viris altero Eximio, altero Eru-  
 ditissimo? cum igitur minas non negares,  
 sed propterea, quod tu verbum non fecisses re-  
 mitteres Notarium ad Dominum Melis: sed  
 neque is intra tot dierum spatium Quid-  
 quam reponeret, confirmabatur ejusmodi  
 vestro silentio narratio Amplissimi Domini  
 intereà Epistolam meditabar qua vos ad salu-  
 brem tam pudendæ iracundiæ poenitentiam  
 excitatarem. Scriptum absolveram 20 Augusti,  
 & post dierum aliquot moram typis vulgavi.  
 Quid hic temeritatis aut levitatis nimix in-  
 credendo? potuine prudentèr suspicari va-  
 cillare Amplissimi relationem à vobis tot die-  
 rum silentio confirmatam? quâ ratione in-  
 cidere mihi potuit cogitatio Dominum Me-  
 lis aliud non dixisse, quam ea se in Patria vi-  
 vere,



vere, in qua si Author Libelli supra memorati innocuerit, speret sibi administrandam iustitiam? Quam hæc habent connexionem cum ejectione Patrum Societatis à Missione Hollandica? vivit enim Eruditissimus in Patria seu Regione Ditionis Hispanicæ. Manifestè igitur falsum est, me unius Amplissimi testimonio nixum arguisse contra duos: & certè profiteor, quidquid est de veritate facti vel falsitate, si vel minima mihi incidisset cogitatio illud à vobis, vel negandum fuisse, vel retractandum, nunquam me illius facturum fuisse mentionem. Imò verò opto ut ne quidem animo agitaveritis ultionem, ut iniquissimam ita Christianis & Sacerdotibus maximè indecoram. Utinam confœderati vestri præsertim Arnaldus in suis adversus Religiosos maximè Jesuitas accusationibus tam fidelitè semper procederet, atque innoxie. Falsum quoque est quod ais Amplissimum Dominum in sua narratione nutasse, ideòque non potuisse à me fidem prudentèr adhiberi. Aio enim & ut minimum sex virorum honoratorum testimoniis possum, ubi opus fuerit, demonstrare, cum fuisse in sua narratione de qua nobis quaestio, constantissimum, neque vel minimum præ se tulisse dubitationis indicium. Scio equidem post vulgatam à me minarum

ve-



vestrarum exprobrationem, vos oblatione  
 juramenti contrā Amplissimum Dominum  
 præstandi eum graviter tenuisse, & quatuor  
 circiter post famosum congressum septima-  
 manis ei extorsisse Epistolam, in qua fatere-  
 tur, quod, quia Eximius D. de Swaen, & E-  
 ruditissimus D. Melis parati sunt jurare nihil si-  
 mile dictum, acquiescat oblationi, quia fieri po-  
 tuit, quod plus à se apprehensum fuerit quam di-  
 ctum. Verum hæc minimè probant Amplif-  
 simum Dominum in sua naratione facta sta-  
 tim post congressum, videlicet postridiè ma-  
 nè, ullam præ se tulisse notam inconstantia, &  
 aut dubitationis. Hanc ego à narratione ista  
 procul abfuisse affirmo iterum, & satis mul-  
 torum tunc presentium testimoniis, ubi opus  
 fuerit, abundè comprobabo. Rogavi vos nu-  
 per an etiam jurati testari audeatis quod Do-  
 minus Melis non alia verba minacia protulerit  
 quàm ea, quæ in Epistola ad Illustrissimum  
 Sebastenum retulisti. Difficultè adducor ut  
 credam, quia ut rationes alias præteream,  
 nihil ad hanc interrogationem in *resolutione*  
*difficultatum* respondisti. Tandem contradi-  
 ctionis arguor, quod nullius crimen occul-  
 tum sine venia Rei saltem interpretativa me  
 profitear propalaturum, & tamen minas il-  
 las occultas luci publicæ exposuerim. Verum



nosti , Eximie Domine regulas plerumque non adeò universaliter accipiendas esse , ut nullam patiantur exceptionem. Nosti proditorem Patriæ occultam celari non posse , si excidium à Patria sine proditoris propalatione nequeat averti. Non aliud occorrebat medium magis opportunum ad elidendas machinationes vestras contra Societatis , alteriusve Ordinis Religiosi Missionarios , si me Religionis alicujus membrum esse vobis aliquandò persuaderi contingeret. Neque adeò occultum videbatur , quod & in<sup>st</sup>am multorum conflessu narratum fuerat , jamque per Notarium publicum , & testes in forma juris coeperat agitari.

Agrè quoque à te ferri video, quod te cum Domino Melis adversus me , sociosque , si quos habeo , scripserim, conspirasse. Adeòne tibi judicium illud videtur temerarium? Si meritò fidem habuerim relationi minarum Domini Melis, quod sufficientèr à me probatum existimo , quid imprudentiæ in eo, quod censerem illa jactari communi consilio, cum congressus ille minimè fuerit fortuitus, sed maturâ deliberatione decretus, res illic pertractanda priùs disposita, & fortè collata, cum pluribus. Prætereà *Dominus Melis fecit verbum*, ut fassus es Notario, ubi satis indicas,

cas,



cas, Dominum Melis præcipuas egisse partes, sed tuo quoque nomine locutum. Neque Dominus Melis solus poterat sibi eam potestatem arrogare de ejiciendis omnibus Societatis Missionariis totâ Hollandicâ Missione.

## §. II.

*Cui imputanda sit propalatio Historiæ de famosa Lagena.*

**S**uperest lagena vini Rhenani, quam vobis paopinavit Amplissimus Dominus Decanus, cujus à me facta mentio, tam duræ vobis digestionis est, ut ne jam quidem concoqui satis à vobis possit. Indignum scilicet est in scriptis publicis, familiarem virorum gravium computationem divulgare. Graviter mihi prohibes in Resolutione difficultatum, ne Lagena illius amplius refricentiam memoriam. Cave interim, inquis, ne ridiculum illud tuum effugium de Lagena à Domino du Bois nobis propinata in tui defensionem eò deducas. Verba veritatis, & sobrietatis, mi Didace, locuti sumus. Intellego, vos etiâ apud alios de hoc questos esse non leviter. Quid facias hujusmodi hominibus delicatulis, qui propter res tam futiles tantoperè commoventur,



aliosque reos vociferantur divulgationis, cu-  
 jus ipsi Autores sunt? Egone historiam hanc  
 ex tenebris erui? Congressum vestrum cum  
 Amplissimo Domino Decano descripsi in  
 Epistola data 20. Augusti anni superioris, de  
 Lagena vini Rhenani tacui studiosè. Verùm  
 Dominus de Swaen, nescio quem vulgi plau-  
 sum hinc captare gestiens, sivè me argumento  
 ineluctabili convicturus, non dubitavit etiam  
 à Lagena causæ suæ patrociniū petere,  
 certus, me vino illo Rhenano, quamvis  
 non gustato, prosternere. Scripseram verò  
 Amplissimum D. Nicolaum du Bois ex collo-  
 quio tam turbulento insomnem duxisse no-  
 ctis partem, quis enim non trepidet solus à  
 duobus Augustini Discipulis, altero eorum  
 penè furibundo, impugnatus? Falsitatis hìc  
 me redarguens Martinus in Epistola ad Illu-  
 strissimum Sebastenum, *hoc scio, inquit, tan-  
 tum abfuisse, ut in discessu nostro turbatum se ad-  
 modum exhibuerit Dominus du Bois, ut potius  
 haustum benevolum vini Rhenani utrique nostrum  
 oblatum voluerit.* Argumentum procul dubio  
 ab haustu benevolo vini Rhenani petitum  
 non potest non esse validum: An igitur vo-  
 luitis, ut falsum pro vero amplexus altum  
 silerem, nihil reponens ad fallaciam tam di-  
 gnā animadversione? Respondi, haustum  
 il-



illum benevolum oblatum fuisse, antequam  
 ulla difficultas moveri cœpit, tragœdiæ non  
 antè initium datum, quàm Lagenæ ad finem  
 vergeret. Quid ni suspicari liceat, si tam no-  
 tabilis circumstantiæ, in qua tantum roboris  
 posuisti, sis oblitus, facile fieri potuisse, ut  
 non omnium etiam verborum, quæ ira Do-  
 mino Melis expresserat, satis memineris,  
 fortè non minus ipse commotus animo, licèt  
 verborum temperantior? Quamvis non ea  
 fuerit vini copia, quæ per se turbando sani  
 hominis cerebro sufficeret, quidquid sit de  
 cerebello infirmiori, & nimix forsàn iræ,  
 tristitiæ, aut alterius passionis motibus agita-  
 to, videtur *haustus* ille *benevolus* animorum  
 aliquid addidisse Domino Melis, ut dolor, &  
 ira, quæ hætenùs imo pectore premeban-  
 tur, foras prorumperent. Singularem autèm  
 sobrietatem tuam, & moderationem laudo  
 Martine, qui ut te non nisi tertiam partem ejus,  
 quod Dominum Melis sumpsisse profiteris,  
 etiàm iram meliùs cohibuisti. Verùm quidam  
 Amicus meus, licèt in historiis alioquin non  
 multum versatus, nec planè Pseudo-Politicus,  
 non legisti, inquit, ni fallar, in Apophtegma-  
 tibus Plutarchi, Dionysium Seniore[m] duos  
 olim juvenes sibi adversarios, & obtrectantes  
 cum ostendisset, utriusque genium inter pocula



explorandum decrevisse? Cum illorum alter  
cautissimè se gereret, ut vini, ità & verbo-  
rum parcior, alter gustato mox vino effe-  
vescens in iras insurgeret, & multa impru-  
dens effutiret, hunc Dionysius, quia ex in-  
firmitate potius, quàm malitià delinquentem  
absolvit, illum magis taciturnum, tanquàm  
magis noxium, sibi que magis metuendum  
è medio sustulit. Ita Amicus, applicationem  
Historiæ mihi relinquens; an applicari possit,  
judicet lector: mihi non lubet tantorum in-  
me virorum animos nullo meo merito con-  
citatos, irritare, quin & de iis mihi perpetuò  
conciliandis seriò cogito.

### C A P U T I I I .

## D E C O M P O N E N D I S D I S S I D I I S .

#### §. I.

*Vndenàm Dissidia sint exorta.*

**Q**UANTA sit non-nullorum in retinen-  
do Jansenii sensu pertinacia, in Pon-  
tificiis constitutionibus explodendis  
temeritas, in conculcanda Archiepiscopali  
au-



auctoritate , in proscindenda Religiosorum  
 Ordinum , & quorumvis Anti-Jansenistarum  
 fama , in procudendis quotidie novitatibus ,  
 & Libellis famosis audacia , satis toti Belgio  
 exploratum est. Cui tolerabilis videatur im-  
 pudentia novorum hominum , Archiepisco-  
 pum Mechliniensem , omnes Belgii Antisti-  
 tes , Eminentissimos Cardinales , Supremos  
 Inquisitores , atque ipsam Apostolicam Se-  
 dem , injustitiæ , tyrannidis , hæresios mani-  
 festæ accusantium , propter interdictam rudi  
 vulgo promiscuam SS. Scripturarum in lingua  
 vernacula lectionem ? Hinc Brabantia , Flan-  
 dria , Hollandia , & vicinæ Provinciæ Libel-  
 lis famosis adversus clarissimos Ecclesiæ  
 præfules , præsertim Mechliniensem , implen-  
 tur , remotiores etiam regiones Sacrilegis  
 rebellium Clericorum accusationibus perfo-  
 rant. Non pudet eos in memoriam revocare  
 luctuosa tempora , quibus corripiente Bel-  
 gium hæreticâ lue , plures à Rege Catholico  
 Provinciæ defecere : Non verentur secessio-  
 nem similem minitari , si Illustrissimus Hum-  
 bertus Archiepiscopus Patriâ Burgundio con-  
 terranei sui olim prædecessoris Cardinalis  
 Granvellani vestigiis in reprimenda novitate ,  
 in restinguenda hæresi pergat insistere. Cum-  
 que nihil in Archipræsulis hujus integerrimi  
 se-



senectute, nihil in virili ejus ætate, nihil in  
 amplissimis muniis, ac dignitatibus, quibus  
 in Burgundia, Germania, Hispania, Belgio,  
 summa nominis sui commendatione perfun-  
 ctus est, reperirent, quod aliquâ veritatis  
 specie criminarentur, adolescentiam ejus  
 scrutati sunt. Sed neque hic quidquam oc-  
 currit reprehensione dignum, aut obnoxium  
 calumnie, præter Theses quasdam à R. P.  
 Ludovico de Schildere compositas, & Hum-  
 berto tunc Theologiæ tiro, pro exercitio  
 scholastico ad defendendum obtrusas. Ex in-  
 finita quodammodò propositionum multitu-  
 dine, quas Professor inter Theologos mini-  
 mè dissolutas congesserat, ad conflandam  
 hinc Archiepiscopo invidiam novem excer-  
 psere articulos, plerosque perfidè mutilatos.  
 Verebat me tam execrabilis machinatio: &  
 licèt ab Illustrissimo minimè conductus, ad  
 ejus tamèn defensionem, ceteris ferè tacen-  
 tibus, profilii. Quis hoc communi Parenti,  
 atque Pastori impensum pietatis officium vitio  
 mihi verterit? Poterat, inquires, Archiepis-  
 copus defendi, & debebat cum moderami-  
 ne inculpatæ tutelæ, repellendo ab eo calum-  
 niam, nullam aliis inferendo. Sic est: verùm  
 non memini, me justæ defensionis limites  
 alicubi transgressum. Adversarios subindè obi-  
 tur



ter perstrinxi, institui comparationem Inter  
doctrinam Illustrissimi, & Adversariorum,  
sed non nisi coactus importunâ ipsorum Ad-  
versariorum provocatione, & quantum de-  
fensio efficax postulabat. Præcipuum offen-  
sionis lapidem queruntur Adversarii à me  
objectum fuisse, CONFUTATIONIS cap 6.  
ubi Catalogum aliquem Theologorum de  
Jansenismo suspectorum perbreve retuli  
pag. 50. sic scribens: *Adi, si placet, Eximium*  
*Dominum Franciscum van Viane, interroga virum*  
*seriò, num Propositiones V. in sensu Jansenii rectè*  
*damnaverit Alexander VII; interroga D. Gumma-*  
*rum Huygens, P. Ægidium Gabrielis, DD. Ioan-*  
*nem Libertum Hennebel, Martinum Henricum de*  
*Swaen, Melis, Lacman, Cuypers, de VVitte,*  
*Vander Linde, Opstraete; adi plerosque in Missio-*  
*ne Hollandica ex Universitate Lovaniensi Sacerdo-*  
*tes seculares; adi, si vagabundi latibulum subodo-*  
*ratus, & non ipse es, D. Arnaldum; fallo, si*  
*ab ullo verbum extorqueas, quo Pseudo-Augustini sen-*  
*tentias in ejus sensu rectè prosriptas aut falsas*  
*profiteatur. Quid, inquires, hæc ad commu-*  
*nionem sacrilegam, de qua illo capite insti-*  
*tuebatur quæstio? Dicam: urgebant hujus*  
*temporis Rigoristæ, aliàs Augustini discipuli,*  
*ut ad tollendum ab Ecclesia scandalum,*  
*quod obsoleta quædam, & plusquam à qua-*  
*dra-*



draginta annis oblivioni tradita Thesis etiam-  
 num creare posset, decreto publico Archie-  
 piscopus declararet, se nuntium remittere  
 doctrinæ, quam in Scholis Patrum Societa-  
 tis adolescens didicerat. Insigni castigatione  
 digna visa omnibus est hæc temeritas. Res-  
 pondi tamèn modestè sufficere debere Zelosis  
 illis, quod Illustrissimus omnia Sedis Apосто-  
 licæ decreta, definitiones omnes amplectatur  
 eo sensu, quem Pontifex in Constitutionibus  
 suis exprimit: adeòque sufficere debere, quod  
 E. G. Propositiones Baianas, & Jansenianas  
 damnet in sensu Autorum, Propositiones 65.  
 damnet tanquàm scandalosas, & in praxi  
 perniciosas, *sicut jacent*: non spectare autèm  
 ad Archiepiscopum inurere aliquam infam-  
 iæ notam aliis propositionibus, quas nullo  
 decreto Pontifex confixisset. Hanc Illustris-  
 simi erga definitiones Romanas reverentiam  
 sufficere debere, Zelosis nostris probavi ar-  
 gumento, quod aiunt, ad hominem: cum  
 ipsi nè tantùm quidèm Constitutionibus maxi-  
 mè solemnibus deferant. Atque hinc potiùs,  
 quàm ex oblitterata, & vix usquam extante  
 Thesi anni 1648, oriri scandala in Ecclesia,  
 quæ verbo uno cum facillimè possent, tollere  
 hæctenùs detrectant. Si in Jansenismi suspi-  
 cionem eos injuriâ vocaverim, cur eam ver-  
 bo.



bo uno non amoliuntur? *Fallo*, inquebam, si ab ullo verbum extorqueas, quo Pseudo-Augustini sententias in ejus sensu rectè proscriptas, aut falsas profiteatur. Cur me falsum fuisse non ostendunt, dicendo rectè esse tali sensu condemnatas? Sic præcipua inter nos dissidia sopita fuissent, imò extincta; si verò Illustrissimum, & integerrimum Archiepiscopum, communem nostrum omnium Pastorem, ac Parentem, tam impiè, & sacrilegè non conculcassent, nulla fortè inter me, & ipsos fuissent exorta. Undè non me, sed novos Augustini discipulos, difficultatum, contentionum, turbarum omnium autores, & fautores esse manifestum est. Prætereo adversariorum novitates, præposterum Reformationis studium, intolerabiles censuras, quibus opiniones probabiles, & in Ecclesia receptas jam pridem traduxere, & ad hæc usque tempora turpissimis conviciis perstringere non verentur. Hæc sunt, quæ Lovanium, atque Belgium, quæ Ecclesiam potius conturbant, quam opuscula mea, ad justissimam Archiepiscopi defensionem; ad refranandam non nihil petulantium quorundam Theologorum audaciam, ad impediendum Jansenismi invalescentis progressum, ad Jansenistas ipsos, si fieri possit, convertendos composita.



*Ex Dissidiorum incommodis, pacis  
necessitas ostenditur.*

J Am sæpiùs mihi nuntiatum est, viros quosdam vobis familiares hortatos esse Dominum Melis, ut stylum in me exerceat, doctrinam suam, si quam habet, palàm facere non erubescat, elidat Didaci suspensionem, se verum Augustini discipulum probet, & imprimis Catholicum. Hanc quoties insligationem intellexi, totus exhorruì; nam ut Dominus Melis homo est vehemens, ita stylum habet acrem, succinctum, & elegantem in paucis. Non obscurum nuper illius specimen dedit in Libello supplice, quem adversus Hieronymum de Gosin, occasione Libellorum meorum, dicitur suâ manu conscripsisse. In hoc rogabat Magnificum Rectorem quatenus dignaretur Libellos istos fame suæ graviter in uriosos, promptim, atque indilatè arrestare. Verùm ille, quamvis stylo nervoso instructus, & culto, in Theologicis scientiis, judicio Universitatis Eruditissimus, ac penè Eximius, mavult de controversiis nihil scribere, sed circumcursare tantùm ædes, ubique

voce



voce miserabili queri de Oropegæ calumniis, minari nescio quæ Tribunalia, solis Libellis supplicibus verè criminatoriis, fallacibus, & viro Theologo indignis rem gerere. Solus Martinus audet in campum procedere, saltem Approbatorum suorum fretus subsidio. In hoc Martini animos laudo, quamvis pacis studio nihil mihi semper fuerit antiquius. Ad hanc etiam Martinus videtur anhelare in Epistola nupera, quâ ad terminandas discordias optabat *familiaire colloquium, & amicam visitationem*. Novi varios, apud quos non sine gemitu dissidia nostra commemoravit: quia & virum, ut quidem apparet, mitem, laborum, & sumptuum miseret, quos difficultatibus conscribendis, atquè imprimendis cogor impendere. Novit procul dubio rei meæ familiaris angustias; neque me illarum pudet, imò candidè profiteor, totam mihi familiam esse pauperem, casam humilem, tectum perlustre, parietes malè coherentes, partem domûs collapsam, alteram inclinare in ruinam, neque ad ædificandum suppetere facultates. Quapropter lites non amo, quia, ut alia incommoda abessent, non sum parsumptibus. Quænam verò ex Scholasticis dissidiis, quando nimis contentiosa sunt, difficultates oriantur, quæ exacerbationes a-



nimorum , quæ scandala frustra tibi Mar-  
 tine explicuero , cui hæc omnia non minus ,  
 quàm mihi explorata sunt. Hodie testatur  
 mihi vir Theologus Sacerdos , & in digni-  
 tate constitutus , exhibitam sibi Epistolam  
 scriptam à quodam insigni Augustini Discipulo  
 Lovaniensi , ubi ait, destruendam esse super-  
 bam illam Societatem , rigidioris Ethicæ  
 Doctoribus tam infestam. Nondum dies e-  
 lapsi sunt 14, cum Louanii in convivio Exi-  
 mius S. T. Doctor narravit, se coràm cum  
 pluribus alijs audivisse quendam aliàs in Col-  
 legio Pontificio Theologum ( parcam hic  
 ejus nomini ) coràm dicentem, quod, *si unus  
 tantum foret in mundo Sacerdos, atque ille Je-  
 suita, mallet die Dominico, vel Festo etiam Pas-  
 chali auditionem Sacri omittere, quàm Jesuitæ  
 Sacrificio interesse, quia non tantum illicitè con-  
 secrant Jesuitæ, sed etiam invalide, ex defectu in-  
 tentionis. Addebat prætereà, quod in articulo mortis  
 constitutus, si nullam haberet, à quo posset absolvi,  
 præter Jesuitam, mallet ex hac vita discedere sine  
 absolutione, quàm eam à Jesuita accipere.* Nar-  
 ratio hæc ad Jesuitas defertur: rogant hi vi-  
 rum Eximium, an hæc ab eo narrata, &  
 audita: affirmat utrumque, paratum se di-  
 cens, ubicumque res tulerit, testari. & plurimum  
 tunc præsentium comparare testimonia. Hæc  
 sci-



feilicèt dictat novorum hominum prædo-  
 minans ubique charitas , hoc ordo amoris  
 Neo-Augustinianus. Hæc, & hujusmodi innu-  
 mera audiunt Jesuitæ, hæc patiuntur, non mi-  
 nantur, non vindicant, non fatigant idcirco tri-  
 bunalia, Novatorum calumniis, & conviciis,  
 ut assueti, ita & superiores. Sanè, inquit,  
 si propter singulas jactatas in nos calumnias  
 lis foret indicenda, omnia Christiani orbis  
 tribunalia terminandis litibus, Reisque pu-  
 niendis, non sufficerent. Quidquid Arnal-  
 dus, ejusque confœderati vociferentur, Je-  
 suitas esse nimis delicatos, velim novos Au-  
 gustini, & charitatis Discipulos imitari  
 mansuetudinem hanc, tolerantiam, & veram  
 charitatem, quæ patiens est, benigna  
 est, non irritatur, non cogitat malum, om-  
 nia sustinet. Tot difficultates, tot scandala,  
 quæ ex Scholasticis contentionibus nimis tur-  
 bulentis oriuntur quotidie, & deinceps plu-  
 ra metuenda sunt, concordie, & pacis in-  
 ter Theologos necessitatem satis omnibus  
 demonstrant; verum nimis arduæ quibusdam  
 videntur pacis conditiones. Unica præ cæte-  
 ris efficax, & necessaria est, quam subj-  
 cio.



§. ultimus.

*Proponitur aqua, facilis, honesta,  
& unicè necessaria pacis conditio.*

**N**on dubito, Eximie Domine, quin in familiari colloquio, & amica visitatione, quæ nuper expetebas, multa mecum de pace, & concordia sapientèr differuiffes. De fine inter nos conveniffet facillimè, an æquè facilè de mediis ad eum necessariis, minùs habeo exploratum. Ut autem perficias, quanto in pacem ferar desiderio, in tuo Martine, tuique commilitonis Petri Melis arbitrio positas esse volo pacis conditiones omnes: decernite pro vestra prudentia quallibet, modò non indecoras, nullam detrectabo, omnes promptissimâ voluntate amplectar. Unius mihi tantùm addendæ potestatem à vobis postulo. Nihil præscribam temerè, nihil inhonestè, sed ex virorum, Doctrinâ pariter, ac pietate Eximiorum, & quidem vestrorum Collegarum Consilio, quod non tantùm Illustrissimi Galliarum Episcopi, sed & summus Christi in terris Vicarius Alexander VII. comprobarunt. Subscribamus sicut exceptione, sine restrictione formulæ Alexan-



xandrinæ contra Propositiones V. Hæreticas eo sensu, quo defenduntur in libro, cui titulus Augustinus Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis. Quid illâ subscriptione honestius? Si librum illum non legistis, non est turpe homini Christiano, & Catholico, credere quod experientiâ non didicit, captivare intellectum in obsequium fidei, definitionibus Pontificum ab Ecclesia receptis consentire. In vobis, DD. Eximie, & Eruditissime, etiam Commilitones vestros alloquor. Propositiones famosas in Jansenii Augustino reperiri non ignoratis, qui Amplissimi Collegæ vestri Martini Steyaert Theoriam expurgatam, molis exiguæ lucubrationem explorastis. Cui tandem persuadebitis, vos tanto jam tempore Lovanii, velut in Campo Martio, versatos, ubi tot Thesibus, & Libellis Propositiones in Jansenio demonstratæ sunt, nescire, quod E. G. prima inter quinque ipsis terminis quoad omnes apices in Augustino Jansenii reperiatur l. 3. de Gratia Salvatoris cap. 13? Illud non inficiatur celeberrimus concionator vester, scriptor imperterritus, & notorius Jansenista F. Eugenius, & tamen ne unius quidem propositionis hereticæ reum agnoscitis Jansenium; adeòque non est facti quæstio, quæ vos hætenus remoratur, an Propositiones quoad



quoad voces easdem , vel æquivalentes , famosi Jansenii volumine contineantur : sed Juris quæstio , an , prout illic conspiciuntur , faciant sensum hæreticum . Atqui Pontifices , etiam Clemens IX. testantur , sensum illum esse Hæreticum , & ut talem à Sede Apostolica condemnatum . Vos neque hæresim hanc damnare vultis , neque ut à Pontifice damnatam agnoscere , quidquid Pontifex contra declaret , quidquid definiat terminis tam disertis , & dilucidis , ut nihil possit exprimi disertius , nihil clarius . An non quilibet verborum suorum , & mentis suæ optimus interpretes ? Certum igitur est Pontificem damnare voluisse , & reipsâ damnasse sensum , quem Propositiones habent in libro , qui Jansenii nomine circumfertur : Unde evidens rursus est , non hic contentionem esse de facti , sed juris quæstione . Ut enim quæstio juris est , an propositio simpliciter sumpta , prout jacet , ab omnibus circumstantiis avulsâ , sit hæretica , ita & quæstio juris est , an cum talibus antecedentibus , cum talibus consequentibus connexa , sensum contineat hæreticum , vel Catholicum . Si quis cum non nullis adeò velit desipere , ut asserat Librum , nescio quem , exhibitum fuisse Pontificibus , & Sacris Inquisitoribus , in quo Propositiones

nes



nes aliis antecedentibus, & consequentibus jungentur, sic ut alium prorsus sensum facerent, quàm faciant in Libro genuino Jansenii, ut modò extat millenis exemplaribus distractus, ab omnibus explodetur. Quam enim umbram probabilitatis habeat, quod refert F. Eugenius ex testimonio Pastoris in Leefdael, Alexandrum VII. dixisse Eximio Patri Lupo ex ordine S. Augustini Doctore Theologo, se in una eademque Libri Janseniani pagina vidisse quinque famosas propositiones? Quasi verò Janseniani Legati, qui tot mensibus Romæ Eminentissimos Cardinales, & S. Officii Consultores pro Janseniani voluminis defensione fatigarunt, Theologi tam perspicaces, tam seduli, nullis parcentes laboribus, nullis sumptibus, tam palpabilem fallaciam non detexissent. Certè mendacium illud insanissimum procul à Patre suo Lupo amoliuntur ejus olim focii, ac Discipuli. Non potest igitur non esse honesta hæc Alexandrinæ formulæ subscriptio.

Quid autem tantæ vobis difficultatis hîc occurrit, quod à tam gloriosa fidei professione vos absterreat? An difficile adeò est cum Janseniani sensus condemnatione conciliare doctrinam de gratia Thomistarum prædeterminante? Patres Dominicanos consulti-

te,



te, in promptu vobis est Eximius P. Martinus Harnay, facilem vos modum brevè edocuerit, quem nemo convellet, nisi qui scholam Thomisticam everterit: Everfionis verò hujus periculum non subesse, fatis notum est. Neque de difficultate in suis à Jansenii sententiis secernendis queruntur Augustiniani Patres, minùs etiam laborat Amplissimus Sylvæ-Ducenſis Vicarius Apostolicus Martinus Steyaert, & tamen omnes gratiam per se efficacem tuentur acerrimè.

Hinc conditionis illius æquitatem quilibet facilè perspexerit. Quænam enim cogitari potest conditio magis æqua ad sancendam inter Theologos pacem, post diffidia tam gravia, tam diuturna, quàm definitioni Pontificiæ ab Ecclesia receptæ subscriptio, nullum ullius momenti incommodum adferens, utilitatis verò plurimùm, & gloriæ? Sic enim omnis tergiversationis vestræ macula abstergetur, Jansenismi suspicio evanescet, omnium vobis obtrectantium ora deinceps conticebunt, fidei vestræ sinceritas apud omnes commendabitur.

Estne inter Catholicos ullus de Jansenismo non suspectus, qui me scævitiæ arguerit, aut temeritatis, quod cum eis fœdus Scholasticum inire detrectem, qui Apostolicæ Se-

dis



dis definitionibus ab Ecclesia receptis subscribere recusaverint? Æquissima igitur est pacis conditio, quam propono, à nullo Catholico meritò respuenda.

De necessitate ejus quid dicam? Hæc omnibus quæstionum in Belgio controversarum non planè ignaris manifesta est. Quid non hæctenus Ecclesiastici pariter, ac civiles Magistratus, quid non summi Ecclesiæ, & regni Principes ad sedandos dissidentium motus, ad impedienda scandala, ad fociandos Theologorum animos, moliti sunt? Verùm diurnam nimis experienciã constat, frustrã omnia tentari, donec tandem debita Ecclesiæ Capiti reverentia præstetur, & fides definitionibus. In memoriam revocate illud tempus, quo Illustrissimus Alphonsus Humberti in Archi-Episcopatu Prædecessor, tanto apparatu ad concordiam omnia disposuit. Quid omnem ineundæ pacis spem in ipso penè conuentûs limine infregit, nonne Lovaniensium quorundam in retinendo Janseniano sensu pervicacia? eadem Lalanii, Girardi, aliorumque Arnaldistarum obstinatio omnia pacis consilia sustulit, quam Pseudo-Augustinianos inter, & orthodoxos Theologos meditabatur Convenensium Antistes.

Non sufficiebant Ferrerio, non Annato  
æqui-



æquivoci quidam termini , vel in speciem  
 Thomistici , donec formulæ tandem Ale-  
 xandrinæ subscriberetur. Scio equidem ni-  
 hil esse in fide tam sanctum , nihil termi-  
 nis expressum tam perspicuis , quod Janse-  
 niana perfidia nequeat eludere , scio non nullos,  
 E. G. Dominum Jacobum Gilbert , post Jan-  
 senisimi abjurationem , in eadem rursus do-  
 gmata relapsos , fortè quosdam etiam , ut  
 ipsi Janseniani indicant , pejerasse , scio in  
 ipsa formula Alexandri clarissima , & aper-  
 tissima tenebras quasdam , & tegendæ hæresi  
 latibula quasivisse fodientes sibi foveas , &  
 præcipitia ; quasi verò Deum æquè facile per-  
 juriis fallerent , quam Ecclesiam. Verùm  
 non omnes adeò projectæ sunt conscientiæ ,  
 ut sententias , quas ore detestati sint , ani-  
 mo decernant retinere. Nullum ego perju-  
 rii reum agam , nisi manifesto indicio con-  
 victum. Quin & quosdam Augustini discipu-  
 los , quantumvis de Jansenismo suspectos ,  
 teneræ adeò conscientiæ esse existimo , ut  
 quidlibet pati malint , quàm pejerare , vel  
 definitioni Pontificiæ , sensum Jansenianum ,  
 quem Catholicum , & sanum arbitrantur , con-  
 demnanti subscribere. A diebus aliquot au-  
 diveram , rumorem spargi , quod Dominus Gui-  
 elmus Barè Collegii Pontificii Alumnus nu-  
 per



per Namurcum ad SS. Ordines vel Concr-  
 sum profectus , ab Episcopo illo dimissus esset  
 propter scrupulum , vel nimiam erga Augu-  
 stinum Religionem. Videbatur mihi statim  
 admiratione potius quàm fide digna relatio.  
 Quare scribo ad Amicum Namurcensem , ut  
 me de re gesta edoceat. Respondet 23  
 Januarii hujus anni 1692 " nihil veriùs quàm  
 „ quod propter scrupulum , vel nimiam er-  
 „ ga Augustinum , sed Ipreensem reverentiam  
 „ sit dimissus. Itase res habuit : Discipulus il-  
 „ le Huygenianus , rogatus statim est ab Il-  
 „ lustrissimo , ex quo Collegio adveniret ;  
 „ cumque respondisset Pontificio , tu es igi-  
 „ tur Jansenista , reponit Illustrissimus ; quod  
 „ cum ille omninò negaret oblata est ei for-  
 „ mula jurandi in Constitutiones contra quin-  
 „ que propositiones cum his duobus articulis  
 „ quos prudentissimo consilio Episcopus ad-  
 „ di jusserat : *Intentio Illustrissimi Namurcensis*  
 „ *conformis intentioni Alexandri VII summi Ponti-*  
 „ *ficis est , I. ut non tantùm iures in reverentiam*  
 „ *Constitutionum , de quibus agitur in prædicta*  
 „ *formula , sed etiam in veritatem earum. 2. Ut non*  
 „ *solum damnes 5 propositiones Iansenianas gene-*  
 „ *raliter in omni sensu hæretico quem habent , sed*  
 „ *specialiter ut excerptas ex Libro cui titulus Au-*  
 „ *gustinus Cornelii Iansenii , &c. & in sensu ab*



2, eodem Jansenio intento seu in profato ejus Libro  
2, expresso.

2, Nota non fuisse hos articulos adjectos  
2, ad explorandam hujus fidem præ ceteris,  
2, sed omnibus omninò ordinandis fuisse obla-  
2, tos, etiam his qui ante ipsum advenerunt:  
2, adeòque falsus est rumor, quod hic spe-  
2, cialiter jussus sit ita jurare ob suspicionem  
2, Jansenismi ortam ex cognatione Domini  
2, Rouvroy."

2, Tale ergo juramentum non tantum non  
2, admisit, sed, notatu dignum est, negavit  
2, se id *salvâ conscienciâ* præstare posse." Videtur  
in articulis, si rectè eos alibi descriptos lege-  
rim, aliquid Amico excidisse, quod omnem  
à juramento restrictionem & effugium Jan-  
senianis familiare excludit. Verum etiam pro  
ut jam relatam est, nullam patitur elusio-  
nem, nisi apud eos, quibus nulla cordi re-  
ligio sit, qui Deo æquè ac hominibus impo-  
ni posse, stultè arbitrentur. Non adeò te-  
merarius, non sacrilegus esse voluit D. Gui-  
lielmus, majori laude dignus si judicium  
suum Ecclesiæ subjecisset, plus tribuendo  
summorum Pontificum sanctissimis Constitu-  
tionibus ubique receptis, quàm Magistri a-  
licujus de errore non uno suspecti scandalosif-  
simæ & perniciosissimæ persuasioni. Non tan-  
tum



tum à sacris Ordinibus arceri, sed & gravissima quæ que supplicia subire mallent, quam Jansenio renuntiare, si verum est, quod de se nuper, suisque Lovaniensibus testatus est R. D. Pastor N. Mirabatur, familiariter cum eo colloquens Sacerdos Religiosus, recentiores aliquos Theologos tam diu fovere gravissima dissidia, tot scandala pati in Ecclesia, quæ verbo uno, simplici abjuratione Janseniani sensûs possent abolere. Quid, inquit Pastor; adeone leve tibi videtur Jansenianum sensum condemnare? mallent ego ex summa Brabantia arbore pendere, mallent id Lovanienses nostri omnes. De hoc certum te esse jubeo mi Pater. Viro de se affirmanti facilius credidero, quam de omnibus Lovaniensibus. Neque satis compertum habeo, quos è Lovaniensibus, suos vocet, non omnes esse, certus scio, aliquos fortè divinando assequerem.

Quamdiu, Eximie Domine Martine, cum tuo Eruditissimo Petro Melis, aliisque Sociis hanc erga Jansenii sensum reverentiam non deposueris, frustra ambis *Colloquia* cum orthodoxis Theologis *familiaria*, frustra *amicas* expetis *visitationes*, frustra de adversariorum tuorum duritie quereris, frustra Rectoris Magnifici, Virorum Principum & Consi-



liariorum aures fatigas , frustra iudicium Tri-  
 bunalia , quamdiu Pontificis Constitutioni-  
 bus formulâ Alexandri VII sine exceptione ,  
 sine limitatione subscribere recusaveris , num-  
 quam te nobis probè Catholicum probabis ,  
 conceptam de te Jansenismi suspicionem num-  
 quam erues , nunquam vos inter , & Pontifi-  
 ciæ autoritatis vindices conveniet , nunquam  
 inter Neo-Augustini , aliasque Scholas pax ,  
 & concordia firmabitur . Frustrâ Pallium Tho-  
 misticum præ tenditis , frustra omnes alios  
 Thomistarum terminos adoptatis , si hunc præ-  
 cipui momenti omiseritis *execramur sensum*  
*Jansenianum , hæreticus est , & ut talis rectè à Sede*  
*Apostolicâ prescriptus ;* nunquam vos Magister  
 Angelicus discipulos , nunquam Thomista-  
 rum schola verè Catholica , & religiosissima  
 socios agnoscat , aut confœderatos . Age er-  
 gò Martine , age loquamur deinceps cum Chri-  
 sti in terris Vicario , fidem Catholicam pro-  
 fiteri non pudeat , non pudeat hæresim eju-  
 rare , ut cum Catholica Ecclesia , & senti-  
 re , & credere nos , mundo fiat manifestum ,  
 ut tollantur deinceps scandala , rixæ omnes ,  
 & lites præcidantur , pax , unitasque tum in-  
 ter Missionarios , tum inter scholas omnes  
 celebretur . Adeòne vobis lites placent , adeò-  
 ne dissensiones gravissimæ . tot ultrò , citro-  
 que



que libelli , quorum aliqui vobis videntur  
tam acerbi , ut querelas exprimant maxi-  
mè flebiles , ut ad intemperiem vos redigant ,  
Augustini & charitatis discipulis parum de-  
coram , indignam viris gravibus , Collegio-  
rum Præsilibus , Missionariorum Directori-  
bus , Almæ Universitatis Lovaniensis Mo-  
deratoribus quandòque summis. Ne vos ite-  
rum videar scriptis meis irritare , aut expo-  
brationibus , & vi quodammodo fidei pro-  
fessionem velle extorquere iis , quibus cul-  
tum debeo , & venerationem , qui impor-  
tunè cogi nolunt , aut provocari , sed ro-  
gari cupiunt humaniter , humili , & venera-  
bundâ oratione obsecrari. Ad preces igitur  
me converto , & quantâ possum animi de-  
missione supplex vos oro , & obtestor , ut  
pro vestro ad convertendas animas zelo , pro  
pacis , & concordia studio , pro ædificati-  
one Ecclesiæ , pro nominis vestri fama , con-  
stitutioni Pontificiæ , definitioni ab Ecclesia  
receptæ Alexandrinâ formulâ subscribatis ,  
cum Thomistis , cum Augustinianis Patribus ,  
cum Fratibus Minoribus , cum Elianis , cum  
Societatis Theologis , cum Amplissimis , &  
Eximiis viris Steyartio , Marselis , Daemen ,  
Du Bois , aliisque Clericis , inter quos & me  
esse profiteor , Pontificiarum definitionum



propugnatoribus , cum Illustrissimis Episcopis , cum Eminentissimis Cardinalibus , & supremis Inquisitoribus , cum Christi Vicariis , cum Ecclesiâ universâ , clarè , distinctè , fideliter anathema proclametis quinque propositionibus hæreticis prout in libro cui titulus : *Augustinus Cornelii Jansenii* , exprimuntur.

### A U C T A R I U M.

**D**E creveram humili illâ , & supplici obsecratione finem difficultatibus imponere , verùm , cum jam intelligam inter calumniâ , quas Epistolæ meæ Apologeticæ affricatis , præcipuam censeri de Domino Sluyter in Jansenismi suspicionem vocato , Respondeo me de homine mihi ignoto aliud non retulisse , quàm quod Epistolâ ad me Roterodamo datâ acceperam ; verba Epistolæ descripsi fideliter , nihil addidi. Atque ecce nihil roganti mihi mittitur Roterodamo copia totius facti authentica : quam hic ad fidem meam à calumpnia liberandam subnecto.



## C O P I A

„ **H**odie 30. Januarii 1692. comparuerunt  
 „ coram me Zegero vander Brugge  
 „ Norario publico, apud Curiam Hollandiæ  
 „ admissio Commorante Rotterodami, & post  
 „ nominandis testibus Wilhelmus van Mol,  
 „ Theodorus Verburg, Henricus Halet, &  
 „ Simon de Ryke, omnes competentis æta-  
 „ tis, boni nominis, cives prædictæ civitatis  
 „ Rotterodami, & mihi Notario benè noti;  
 „ & declarabant atque testabantur omnes si-  
 „ mul & quisque solus, in præsentem ad petiti-  
 „ onem Domini N. N. quomodo verum sit,  
 „ quod ipsi comparentes, Dominica tertia  
 „ adventus præcedentis anni 1691, quæ  
 „ Dominica fuit 16. Decembris ejusdem anni,  
 „ sub Vesperam fuerint in cœtu illorum, qui  
 „ sunt Religionis Romanæ Catholicæ, in do-  
 „ mo Rev. D. Sluyter Sacellani Rev. D. van  
 „ Cuyck, in prædicta civitate Rotterodamo,  
 „ & quod illi comparentes audiverint, & vi-  
 „ derint accidisse, quæ sequuntur.

„ Nimirum, quod prædictus R. D. Sluy-  
 „ ter, in aggressu vel initio suis explicaverit  
 „ unum Capitulum ex S. Scriptura; post quod  
 „ ipse



„ ipse compendio repetebat , quod , uti dicebat , Dominicis pluribus suos docuerat.

„ Quod præterea diceret , se in doctrinis illis stabilivisse , quod post lapsum Adæ , Electio & reprobatio hominum à Deo facta sit sine omni prævisione meritorum vel demeritorum.

„ Quod diceret secundò , stabilivisse se , sententiam Pauli 1. Tim. 2. 4. *Quod Deus velit omnes homines salvos fieri &c.* intelligi debere de voluntate Dei , quando homines considerantur ante lapsum ( Adæ ) sed non quando considerantur post lapsum ; alioqui post lapsum non vult Deus ut omnes homines salvi fiant. Ad quod demonstrandum allegabat S. Damascenum & S. Thomam , loquentes de antecedente & consequente voluntate Dei.

„ Quod diceret tertio , stabilivisse se , quod omnis gratia Dei in statu naturæ lapsæ , sive omnis medicinalis gratia , per vires suas & naturam , efficax sit , & quod habeat omnem illum effectum in homine , quem Deus intendit , vel ad quem à Deo datur.

„ Quod dixerit quartò , statuisse se probare , quomodo Christus mortuus sit pro omnibus hominibus , quod ita declarabat.

„ Christus potest dici mortuus pro omnibus



„bus hominibus , non quod ista intentione  
 „mortuus sit , ut ipsis mereretur salvifican-  
 „tem vel justificantem gratiam , sed quia suf-  
 „ficiens pretium dedit , per quod omnes , si  
 „ipse voluisset , gratiam salvificantem vel ju-  
 „stificantem accepissent.

„Post quod dicebat , quod Christus foret  
 „mortuus cum intentione salvandi omnes il-  
 „los homines , qui re ipsa salvi fiunt.

„Quod etiam Christus mortuus sit cum  
 „ista intentione , ut justificet omnes illos ho-  
 „mines , qui re ipsa justificantur.

„Et quod denique mortuus sit cum inten-  
 „tione dandi omnibus illis hominibus gra-  
 „tiam vel proximè vel remotè ad justificatio-  
 „nem , quibus ejusmodi gratiæ re ipsa dantur.

„Quod contra illud ab aliquo ex Discipu-  
 „lis illius objiceretur quod Christus dicatur  
 „mortuus cum intentione , ut etiam salvet  
 „eos , qui re ipsa gratias non accipiunt , si-  
 „cut Clemens Alexandrinus ( dicit ) Christus  
 „est Salvator non horum aut illorum , sed Sal-  
 „vator omnium.

„Et quod R. D. Sluyter responderet , quod  
 „Christus posset dici Salvator omnium , uti  
 „eum Paulus vocat , qui saltem vitam & bo-  
 „na temporalia suppeditat , & sic est confer-  
 „vator omnium.

„Quod



„Quod tunc R. D. Adrianus van Wyck,  
 „Pastor in Lethel, qui Pagus est non pro-  
 „cul diffitus ab hac civitate, petierit faculta-  
 „tem aliquid opponendi, quod R. D. Sluyter  
 „rotundè abnuit. Quare R. D. van Wyck di-  
 „cebat: Protestor quod doctrinam Calvini-  
 „sticam pro Catholica doceas, & quod vim  
 „inferas Catholicæ fidei.

„Quod finito cœtu, priùs tamen quam  
 „abierant auditores, R. P. Octavius d'Hol-  
 „lande Missionarius Soc. Jesu in hac civitate  
 „Rotterdamensi, Dominum Sluyter allocu-  
 „tus fuerit, ac eidem dixerit: Rev. Domine,  
 „cœtus jam finitus est, mihi ne hunc licet  
 „quippiam opponere? Ad quod D. Sluyter  
 „regebat vel respondebat, quod non lice-  
 „ret, dicente R. P. d'Hollande ulteriùs: Re-  
 „verende Domine, quia tu in præsentia ho-  
 „rum omnium doctrinam tuam proposuisti,  
 „libenter in præsentia eorundem aliquid op-  
 „ponerem, quod Dominus Sluyter præcisè  
 „& absolutè pernegabat, exstinguens unà  
 „candelas, quæ ante ipsum ardebant, & tra-  
 „dens tertiam candelam (quia tenebræ erant)  
 „alicui alteri, addens: deduc illos.

„Et ita comparentes consequenter reces-  
 „serunt.

„Finientes ipsi comparentes suam deposi-

„tio-



,tionem dando rationem suæ notitiæ, sicut  
,in textu : & præterea quod ipsi prædictos  
,R.R. DD. Sluyter, van Wyck, d'Hollan-  
,de probè noverint, & quod ipsi, quæ præ-  
,dicta sunt, ita in substantia audiverint & vi-  
,derint, & similiter die sequente in chartam  
,digesserint, ita ut rerum testatarum certio-  
,rem memoriam & notitiam habentes offe-  
,rant sese ( necessitate id exigente ) ad di-  
,cta sua jurejurando confirmandum. Ita actum  
,& transactum in domo mea, in præsentia  
,Philippi Burghput & Servatii Casteleyn te-  
,stium in id requisitorum, qui Autographum  
,seu minutam unà cum comparentibus & me  
,Notario subsignaverunt die prædicto.

Concordat cum minuta seu originali,  
quod testor ZEGERUS VERBRUGGE  
Not. Public.

Nos infra scripti testamur hanc copiam cum  
autographo convenire. Roterodami 31. Jan.  
1692.

THEODORUS VERBURG.

CORNELIUS CROES.

Nos



Nos autem infrascripti testamur hæc duo.  
1. Convenire copiam cum authentico. 2. Rem  
hæc translata nobis præsentibus, audientibus,  
& videntibus ita contigisse. Rotterodami  
31. Jan. 1692.

ADR. VAN WYCK Presb.

OCTAVIUS DE BARTOUT  
dit D'HOLLANDE.

F I N I S.

---

A P P R O B A T I O.

**S**ECUNDA pars Difficultatum complectens  
1. justam autoris defensionem adversus  
Libellum supplicem Eximii Domini de  
Swaen, & Eruditif. D. Melis. 2. Instaurationem  
Priorum difficultatum; cum libello  
supplice Alumnorum Collegii Alticollensis ad  
Ex. suum Præsidem. 3. Æquam & facilem pacis  
conditionem, imprimi poterit. Datum Lovanii  
6. Feb. 1692.

N. DU BOIS Lib. Censor.



